COMMENTATIO LITTERARIA INAUGURALIS

CONTINENS

QUAESTIONES SCENICAS

AD

CHORAGIAM PERTINENTES.

COMMENTATIO LITTERARIA INAUGURALIS

CONTINENS

QUAESTIONES SCENICAS

AD

CHORAGIAM PERTINENTES,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GUILIELMI KOSTER,

MED. DOCT. ET IN FAC. MED. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERIS HUMANIORIBUS ET PHILOSOPHIA THEORETICA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

JANUS BRILL,

ZUTPHANIENSIS,

DIE VIII M. JUNII A. MDCCCLXVII, HORA II.

LUGDUNI-BATAVORUM,

TYPIS MANDAVIT E. J. BRILL.

MDCCCLXVII.

PRAECEPTORIBUS.

Es ist ein Factum von unerschöpflicher Wichtigkeit für die Geschichte der dramatischen Poesie, dasz der lyrische Theil, der Gesang des Chors, der ursprünglichste Bestandtheil war.

KARL OTFRIED MÜLLER.

CONSPECTUS.

Pag.
INTRODUCTIO. . . . . 1.

PARS PRIOR.
DE CHORAGIA IN GENUS.
CAPUT I.

§ 1. De choragia in liturgiis numeranda. . . . . 3.
§ 2. De choreutarum munere. . . . . 5.

CAPUT II.

§ 1. Quis fuerit choragus. . . . . 9.
§ 2. De modo, quo legerentur choragi. . . . . 12.
§ 3. De choragorum numero. . . . . 17.
§ 4. Quae praestanda fuerint chorago. . . . . 22.
§ 5. De choragi vicariis atque adjutoribus. . . . . . . 25.
§ 6. De choragi sumptibus. . . . . 27.
§ 7. De choragi conditione. . . . . 33.
§ 8. De choragi victoria. . . . . 39.

ALTERA PARS.

DE COMMISSIONE SCENICA TRIBUUM CERTAMINE.

INTRODUCTIO. 45.

CAPUT I.

De poeta et chori praeceptore eorumque in scenico certamine partibus. . . . . 49.

CAPUT II.

De choragi in scenico certamine partibus. . . . . 65.

Quaestio 1*a*. Utrum choragi cura atque auctoritas ad chorum tantum, an ad universam fabulam in scenam inducendam pertinuerit. . . . . 66.

Quaestio 2*a*. Utrum choragus an poeta in certamine fuerit victor. . . . . 76.

CONCLUSIO. . . . . 104.

QUAESTIONES SCENICAE

AD

CHORAGIAM PERTINENTES.

INTRODUCTIO.

Virorum doctorum de rebus scenicis scripta legenti variae eorum de certaminis scenici natura opiniones identidem dubitationes mihi injiciebant. Scilicet hujus certaminis cum publico deorum cultu arctissime conjuncti rationi parum mihi convenire videbatur quod poetas in eo summam tenuisse et victoriam reportasse crederent.

Summae contra in dramatico illo agone partes chorago tribuendae esse mihi videbantur. Ad quam rem probandam tota, quae sequitur, spectabit disputatio.

Brevi igitur praemissa in priore commentationis parte choragiae dramaticae expositione, quatenus ad eam,

quam nobis solvendam proposuimus, quaestionem pertinet; — in posteriore parte communem virorum doctorum sententiam ad ipsorum veterum testimonia et ad ea, quae supersunt, publica certaminum scenicorum monumenta perpendere mihi propositum est.

Multum abest, ut, post tot tantorumque virorum labores, hac nostra disputatiuncula rem absolutam esse credam. Hoc unum persuasum mihi est, omni quamvis debili conatui, qui eo spectet, ut magis perspicuam ac vividam nobis fingamus rerum scenicarum imaginem, adhuc satis obscuram, suum constare pretium.

PARS PRIOR.

DE CHORAGIA IN GENUS.

CAPUT I.

§ 1. DE CHORAGIA IN LITURGIIS NUMERANDA.

Res pecuniaria civitatis Atheniensis ita erat constituta, ut non tantum tributa penderent cives, sed in ditiores munera incumberent, quae, licet reditus aerarii non augerent, publicis tamen sumptibus subvenirent.

Talia munera vocabantur *λειτουργίαι* [1]. Distinguendum est inter liturgias ordinarias (*ἐγκυκλίους*) et extraordinarias, prout quotannis certo ordine vel extra

---

1) De hac voce vide Boeckh.: „Die Staatshaushaltung der Athener", I, 594 (2e Ausg.): „Der Nahme bezeichnet einen Dienst für das gemeine Wesen (*λήϊτον, λῆτον, λεῖτον*), auch einen solchen, welchen der gedungene oder dem Staate eigene Diener (*ὑπηρέτης, δημόσιος*) leistet (Wolf in Demosth. Orat. Leptineam prolegomena, S. LXXXVI. Vgl. Lex. Seg. S. 277. *Λειτουργεῖν* ist den Grammatikern *εἰς τὸ δημόσιον ἐργάζεσθαι, τῷ δημοσίῳ ὑπηρετεῖν*)."

ordinem tantum, si necessitas cogeret, erant obeundae.

Verbi causa, ad extraordinarias pertinebat trierarchia, qua qui fungerentur, exorto bello naves armabant et in hostes ducebant; ad ordinarias omnes illae liturgiae, quae sollemnibus deorum festis ornandis serviebant.

In ordinariis hisce liturgiis choragia erat praecipua. Pro variis autem chororum generibus varia erat choragia: etenim aliis festis a choro cyclio sive virorum sive puerorum dithyrambi in deorum honorem canebantur, aliis tibicines, aliis saltatores in orchestram inducebantur; solis Dionysiis tragoedi vel comoedi vel satyrorum chori prodibant.

Ita distinguuntur haec: χορηγεῖν ἀνδράσι sive ἀνδρικοῖς χοροῖς, παισίν sive παιδικοῖς χοροῖς, πυρριχισταῖς, κυκλίῳ χορῷ, αὐληταῖς ἀνδράσιν, τραγῳδοῖς, κωμῳδοῖς.

De dramatica autem choragia pauca ac fere nihil nobis traditum esse, casu factum est. Orationes enim Demosthenis, Lysiae, aliorum, quae in choragorum litibus versantur, scholiastarum grammaticorumque annotationes, inscriptiones Athenis repertae, quae sunt unici harum rerum fontes, de choragia quidem, non vero de choragia dramatica agunt. Statuere vero li-

cet, eadem de hac valere, quae de ceteris choragiis, ubi non ipsa rei natura alia quaedam in rebus dramaticis obtinuisse credere nos jubeat.

Videamus ergo, quaenam ab ipsis veteribus de choris deque choragia commemorentur, eaque ad nostrum argumentum referre conemur. Prima autem, quae nobis se offert, quaestio haec est: Qualis fuit chorus? Quibusnam constitit personis?

---

§ 2. DE CHOREUTARUM MUNERE.

Munus choreutae, non minus quam ipsius choragi, munus publicum, liturgia, erat. »Ὁ γὰρ χορὸς ἦν τῆς πόλεως" Demosthenes dicit in oratione, quam contra Midiam habuit [1]), qua ex oratione hoc quoque apparet, choreutas, dum eo munere fungerentur, militiae fuisse immunes [2]).

Hinc jam conficitur, civibus tantum Atticis et choreutarum et choragorum munus fuisse subeundum, quod multi probant veterum loci [3]).

---

1) Vid. Demosth. Midiana, § 25. 2) Vid. l. l. § 15

3) Vid. Demosth., l. l. § 56, p. 532, Ulpianus ad h. l., Ulp. ad Demosth. c. Leptin., p. 278, Andoc. c. Alcib., § 31, p. 127 Reisk., Plutarch. in Phoc. c. 30.

In Lenaeorum vero festo etiam peregrini choreutae et inquilini (μέτοικοι) choragi esse poterant, si saltem scholiastae effato [1]) fides habenda cum Boeckhio aliisque [2]). Ut vero ea res jam ab Hemsterhusio in dubium vocata est [3]), ita mihi quoque parum veri similis esse videtur.

Sive Lenaea igitur sunt excipienda, sive non sunt, statuere licet cum Demosthene [4]), peregrinos e choris fuisse exclusos; nec peregrinis, neque inquilinis choragis esse licuisse. Choragum, peregrinum in choro suo certare sinentem, mille drachmarum multam commisisse ex eodem patet Demosthenis loco.

Inde autem, quod agon musicus tribuum erat certamen, quarum quaeque chorum sistebat, verisimile videtur, et choragos et choreutas ad eam pertinuisse tribum, quam repraesentarent.

Ea exempla, quae contra hanc sententiam, quod sal-

1) Vid. Schol. ad Aristoph. Plutum vs. 954: „οὐκ ἐξῆν δὲ ξένον χορεύειν ἐν τῷ ἀστικῷ χορῷ· παρὰ τοῦτο πέπαιχεν· ἐν δὲ τῷ Ληναίῳ ἐξῆν· ἐπεὶ καὶ μέτοικοι ἐχορήγουν."

2) Vid. Boeckh., de Demosth. orationis Midianae temporis rationibus, p. 62, atque in Comm. de discrimine festorum Bacchicorum, c. 21, 22; Schultzius in Comm. de Chori Graecorum tragici habitu externo, p. 7.

3) Vid. Hemsterhusius in Pluti editione sua ad vs. 1.

4) Vid. Demosth. Mid. § 56, p. 532, s. 1.

tem ad choragos attinet, afferri possunt [1]), ad seriorem aetatem videntur esse referenda.

Quod ad civium ordinem attinet, ad quem pertinebant choreutae, tempora, ni fallor, sunt distinguenda. Antiquissimis enim temporibus ipsi civitatatis proceres chorum efficientes in deorum honorem hymnos cecinisse et saltasse videntur [2]). Quum vero hymni a pristinae formae simplicitate discedere coepissent et in saltatione quoque major ars cerneretur, quo fiebat ut hominibus opus esset, jamdudum ante festum exercitatis, non amplius principes chorum effecisse videntur, sed homines mercede conducti, choragorum sumptibus alti, vestiti, ornati, cantorum ac saltatorum in sacris officio functi esse, quod apparet ex omnibus, quae veteres de choris nobis tradiderunt [3]). Quae si vera sunt, quum hic tantum agamus de tem-

1) Vid. quae in hac Comment., infra, afferuntur, ubi de choragis sermo est.

2) Huc pertinent ii Epicorum loci, ubi de ipsorum deorum choris mentio fit, ut e. g. in hymn. ad Apoll. Pyth. vs. 10—26, Hesiod. Herc. Scut. 201—205; chorus juvenum Phaeacum in Alcinoi aedibus prodiens, Odyss. VIII, 266; chorus juvenum puellarumque Cretensium, Il. XVIII, 591—606, alii; quorum chororum qui participes erant quin ad civitatis ἀρίστους pertinuerint, nihil dubitandum est.

3) Vid. quae infra hac de re afferuntur.

pore, quo chororum ratio Athenis publice esset instituta, non nimiae audaciae videtur statuere, id temporis choreutas non ad optimates pertinuisse, sed potius ad inferiores quodammodo civium ordines; optimatium vero fuisse choragorum munere fungi.

Haec sufficiant de choreutis: jam videndum de chori duce.

CAPUT II.

DE CHORAGO.

§ 1. QUIS FUERIT CHORAGUS.

Ut omnes fere quaestiones, quae litterarum Graecarum spectant origines, ita haec quoque quaestio, quis antiquissimis temporibus fuerit choragus, spissis premitur tenebris.

Fortasse idem erat, qui postea chori κορυφαῖος dicebatur, nempe ille, qui choro motibus atque cantu praeibat, quod ipso nomine indicatur, siquidem χορηγός est ὁ τοῦ χοροῦ ἡγούμενος [1]), nec inde non confirmatur quod apud Dores posteriore etiam tempore coryphaeus ille χοραγός appellabatur [2]).

---

1) Vid. Suidas, i. v.

2) Vid. Athenaeus, XIV, p. 633, a; Plutarchus, apophthegm. Lacon. p. 219, l. (II, p. 127, Tauchn.). Cff. Schneider, das attische Theater-

Quum vero post Clisthenem tribuum certamina essent constituta, choragos appellatos reperimus eos liturgos, qui suis sumptibus tribus suae chorum alendum atque exercendum curarent. Qua tamen ratione, si quid est in illa opinione veri, haec mutatio obtinuerit, non liquet. Nobis tantum innotuit de iis, quae post Clisthenem obtinuerunt, quum chororum in deorum festis certamina publice erant constituta.

Quod vidimus de choreutis, de choragis quoque statuendum est, eos non tantum fuisse cives Athenienses, sed cives ejus tribus, quam in certamine repraesentarint. Hanc tamen legem, posterioribus saltem temporibus, non accuratissime observatam fuisse, nos docent inscriptiones Athenis repertae [1]. Quid quod nonnumquam duarum tribuum choragia ab uno chorago suscipiebatur [2]?

Postremis temporibus ipsum populum choragiam suscepisse reperimus in gratiam quarundam tribuum, pau-

---

wesen, p. 114 sq. (139); Geppert, die altgriechische Bühne, p. 199, qui citat Aristotelis Polit. VIII, 6.

1) Vid. Boeckh., Corpus Inscriptionum Graecarum, I, p. 358, N°. 223 et 224, quarum inscriptionum illa ad Olymp. CXIV, 2, archonte Cephisodoro, haec ad Olymp. CXV, Neaechmo archonte, referenda est.

2) Exempla praebent C. I. l. l. N°. 215 et 221.

pertate, ut videtur, impeditarum, quominus ipsae eo munere fungerentur [1]).

Choragus erat inter ditiores cives; nam liturgiarum officium ad censum civium exigebatur: res familiaris quadraginta sex minarum, unius vel duorum quidem talentorum nondum liturgiarum munus obire aliquem cogebat [2]); choragia civi demum subeunda erat, cujus res familiaris tribus circiter constabat talentis, nisi sua sponte aliquis choragiam susciperet [3]).

De choragi aetate secundum nonnullos lex statuebat. Ad quam sententiam probandam citant Aeschinem c. Timarchum [4]), unde Harpocration [5]) et Photius [6]) sua hauserunt, neminem nimirum ante quadragesimum aetatis annum choragum fieri potuisse. Sed omnia haec pertinent ad *τὸ χορηγεῖν παισίν*, de qua choragia puerorum stupri metu talia erant constituta.

---

1) Ut C. I. l. l. N°. 225 et 226 in gratiam tribuum Hippothontidis et Pandionidis, Pytharato archonte, i. e. Olymp. CXXVII, a. C. 271. (Vid. Clinton, Epitome of the Chronology of Greece, p. 297).

2) Vid. Boeckh., Athen. Staatsh. I, p. 598, qui citat: „Isaeos v. Hagn. Erbsch. s. 292 (von welcher Stelle s. Buch I, 20). Demosth., g. Aphob. I, s. 833, 22."

3) Vid. Boeckh., l. l.

4) Vid. Aesch. c. Tim., p. 36 et 39 Reisk.

5) Vid. Harpocration in voce.

6) Vid. Photius, p. 354, 15 in v. *ὅτι νόμος*.

Boeckhio vero auctore [1]), ne in puerorum quidem choris, republica florente, haec lex semper vigebat. Testimonia praeterea exstant in Demosthenis Midiana [2]), ipsum triginta duos annos natum virorum choro praefuisse; in Lysiae oratione [3]), hujus oratoris clientem ipso examinis (δοκιμασίας) anno, i. e. circiter duodevicesimo aetatis tragoedorum choragum fuisse. Unde constat, in choragia dramatica nullam aetatem lege statutam obtinuisse.

Id tantum novimus, nemini incubuisse liturgiam, nisi qui esset sui juris; imo orphanis lege concessam fuisse horum munerum immunitatem, donec receptis inter viros (τελοῦσιν εἰς ἄνδρας) integer annus esset praeterlapsus. Unde apparet eum, qui causam dicit apud Lysiam l. l., primam illam choragiam suscepisse voluntariam.

---

§ 2. DE MODO, QUO LEGERENTUR CHORAGI.

Mense post Dionysiorum celebrationem Dionysia sequentis anni praeparandi initium fiebat ferendis choragis,

---

1) Vid. Boeckh., l. l. p. 603.
2) Vid. Demosth. Mid., § 42.
3) Lysias, 21, ἀπολογία δωροδοκίας, p. 161, § 1.

si fides habenda secundae Midianae hypothesi: »*πανομένης* (l. *πανσαμένης*) *δὲ τῆς ἑορτῆς ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ προὐβάλλοντο οἱ χορηγοὶ τῆς μελλούσης ἑορτῆς*."

Ferebantur choragi, ut veri simile esse supra jam vidimus, e tribu sua atque etiam a tribu sua, ad hanc electionem a tribuum curatoribus (*οἱ ἐπιμεληταὶ* dicuntur *τῶν φυλῶν*), quod effici potest ex eadem oratione Demosthenis § 13, p. 519.

Bene autem distinguenda ea electio ab ipsa creatione choragorum, quum de illa semper proprium verbum sit *προβάλλεσθαι χορηγός*, *φέρειν χορηγόν* [1]) aut *προβάλλεσθαι λειτουργεῖν* [2]). Ipsa choragi creatio, *τὸ καθιστάναι τινὰ χορηγόν*, potius penes illum fuisse magistratum putanda est, cui tota sacrorum festorum administratio erat commissa: hoc est Magnis Dionysiis penes archontem eponymum, Lenaeis penes *τὸν βασιλέα* [3]).

---

1) Vid. e. g. supra jam citatam secundam Midianae hypothesin, ubi legimus: „*προὐβάλλοντο οἱ χορηγοί*."

2) Vid. Andoc. de myster. § 132.

3) Vid. Demosth. *πρὸς Βοιωτ. π. τ. ὀνομ.* p. 997: „*ἂν ἄλλη τις ἀρχὴ καθιστῇ λειτουργεῖν, οἷον· ἄρχων, βασιλεὺς, ἀθλοθέται*", cett. — Pollux VIII, 89, sq. Verba, quae occurrunt in Midiana § 13, p. 518: *οὐ καθεστηκότος χορηγοῦ τῇ Πανδιονίδι φυλῇ*" cum mea sententia pugnare non puto, quum facile ita explicentur: quum Pandionis tribus choragum non tulisset, choragus huic tribui non creatus est sc. ab archonte.

Hac in re igitur non assentior Boeckhio, qui penes tribum choragi creationem fuisse putat, ubi dicit [1]: „Den Leistenden ernennt *der Stamm*", et paullo infra: „Die *von den Stämmen* gestellten Choragen wurden vom Archon den Dichtern zugetheilt." Ego facio cum Hermanno, Griechische Staatsalterthümer, § 161, 7. et Tittmanno, Gr. Staatsverfassung, p. 295 sqq.

Tertia Schneideri sententia [2]), choragos ab archonte *sorte* creari, ut rei naturae adversatur, ita nititur loco fide nequaquam digno scriptoris, qui omnibus ceteris de choragorum creatione auctoribus adversans, ex rei ratione perperam intellecta suam opinionem finxisse videtur. Qui locus [3]) ita se habet: »χορηγός τις εἶναι λαχὼν τῆς αὑτοῦ φυλῆς Ἐρεχθηΐδος, καὶ προσέτι Κεκροπίδος", quod sine dubio grammaticus desumpsit ex ipsius Antiphontis verbis [4]): »ἐπειδὴ χορηγὸς κατεστάθην εἰς Θαργήλια, καὶ ἔλαχον Παντακλέα διδάσκαλον καὶ Κεκροπίδα φυλὴν πρὸς τῇ ἐμαυτοῦ, τοῦτ' ἔστι τῇ Ἐρεχθηΐδι ἐχορήγουν" etc. Manifeste igitur hypotheseos scriptor duas notiones in

1) Vid. Boeckh. l. supra citato.
2) Vid. Schneider, l. l. p. 18 et p. 111 (136).
3) Hypothesis ad Antiphont. π. τ. χορευτοῦ.
4) Antiphon in oratione l. p. 142.

oratione separatas injuria conjunxit. Quid enim statuendum est? Quando hunc Antiphontis locum comparamus cum verbis Ulpiani ad Leptineam, p. 465 (Reisk.): »ὡς ἐν τοῖς Θαργηλίοις δυοῖν φυλαῖν εἷς μόνος καθίστατο χορηγός, τοῖς δὲ μεγάλοις Διονυσίοις Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, πλείονος αὐτῷ γενομένης τῆς δαπάνης, εἷς χορηγὸς ἑκάστης φυλῆς καθίστατο", hinc conficere licet, solis Thargeliis quinos choragos a tribubus suis propositos, ab archonte creatos, eodem modo atque ceteris omnibus deorum festis, sorte decernere debuisse, cui tribui praeter suam servirent. Peculiarem hunc Thargeliis observatum morem, minoribus hujus festi sumptibus nitentem, cavendum est, ne cum Schneidero ad universam choragorum creandorum rationem transferamus.

Haec creatio secundum certum ordinem fiebat: quippe omnes tribules (φυλεταί), quorum res familiaris trium talentorum summam excederet, sua quisque vice choragi officio functi esse videntur [1]). Poterat tamen aliquis, etiamsi minoribus facultatibus uteretur, choragiam suscipere sua sponte (ἐθελοντής).

1) Vid. Boeckh. l. l. p. 598.

Boeckhius l. l. contendit, singulos choragos etiam binis phylis servire potuisse, praesertim ubi choragi deficerent, ad quam sententiam probandam citat Antiphontis l. l.; sed vidimus, hoc saltem exemplum immerito hic afferri. Antiphontis enim cliens duabus phylis serviebat, non quia choragi deficiebant, sed ex peculiari choragiae in Thargeliis ratione. Quam autem affert inscriptionem [1]: 'Ερυξίας 'Ερυξιμάχου Κυδαθηναιεὺς ἐχορήγει Πανδιονίδι 'Ερεχθηΐδι παίδων", ea contrarium non probat; nullam enim facit mentionem festi, in quo puerorum ille chorus prodierit: conjicere ergo licet victoriam in Thargeliis reportatam hac inscriptione commemorari. Ad tragoedorum vel comoedorum in Dionysiis choragiam talia transferri nullo modo oportet.

Sub finem belli Peloponnesiaci, postquam Athenarum facultates Sicilica inprimis expeditione erant exhaustae, Callia archonte, Olymp. XCII, 1. ex plebiscito permissum est, ut bini choragi singulis tribubus choragiam praestarent [2].

Quod attinet ad »τὸ χορηγεῖν ταῖς φυλαῖς ὁμοῦ πά-

---

1) Boeckh. C. I. Gr. I, 216. p. 345, Cf. Schneider, l. l. (136). p. 111.

1) Vid. Schol. ad Aristoph. Ranas, 406; Platonius, περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν.

σαις", quod Plutarchus [1]) de rege Philippappo narrat, ad aetatem pertinet seriorem, ita ut nullam argumenti vim habeat. Probat potius, tunc temporis omnem pristinum ordinem fuisse dissolutum, quod nemo mirabitur accidere debuisse ea tempestate, qua Atheniensium libera respublica jam prorsus periisset.

§ 3. DE CHORAGORUM NUMERO.

Nihil nobis de numero choragorum, in singulas Dionysiorum celebrationes lectorum, traditur. Praesto est quidem locus in argumento Libanii ad Midianam, p. 508, ubi legimus: »καθίστασαν δὲ τοὺς χοροὺς αἱ φυλαὶ, δέκα τυγχάνουσαι, χορηγὸς δὲ ἦν ἑκάστης φυλῆς ὁ τὰ ἀναλώματα παρέχων τὰ περὶ τὸν χορόν", sed haec verba tam vaga atque indefinita sunt, ut inde non multum proficiamus. Si enim ex hoc loco conficimus, denos fuisse choragos, quum decem essent tribus Atticae, quaerendum restat, quinam fuerint choragi, chororumne dramaticorum an lyricorum, auleticorum, aliorum. In Midiana Demosthenes de auletarum loquitur choro. Primum igitur de auletarum choragis hic cogitandum

1) Vd. Plutarch. Sympos. I, 10, 1.

videtur; nec tamen verisimile, denos fuisse auleticos choros in uno festo. Multo minus ex hac traditione de dramaticorum choragorum numero statuere possumus. Hoc tamen veri in ea inesse puto, inter choragorum ac tribuum numerum quandam intercessisse necessitudinem; quod tametsi omni dubio majus est, non tamen quaestioni nostrae solvendae multum prodesse potest. Perverse igitur Schultzius [1]) hunc tribuum numerum ad commissionum scenicarum numerum transfert, his verbis: ›Si igitur unusquisque choragorum singularem tribum repraesentabat, tunc prope necessarium videtur decem choragos certamen iniisse. Si vero decem erant choragi, tunc etiam opus erat decem poetis, in quorum fabulis illi chorum instruerent. Itaque jam hac ex ratione denos consequimur in magnis Dionysiis commissiones scenicas totidemque, quibus certamen ineundum fuerit, poetas".

Ex hoc denario choragorum poetarumque numero vulgo concluditur, quinos fuisse tragicos, quinos comicos poetas atque choragos, eundemque numerum ad ju-

1) Vd. l. l. p. 11.

dices pertinere, tum vero (ex elegantissima Boeckhii conjectura) institutum fuisse, ut de tragicis commissionibus judicarent quinque judices, lecti illi ex iis tribubus, quae non in tragoedia sed in comoedia choragiam praestitissent, eodemque modo de commissionibus comicis alteri quini ex alteris lecti quinis tribubus, quarum choragia versata esset in tragoediis. Haec quidem optimam prae se ferunt speciem, sed firmo fundamento carent. Unum hoc nobis constat, comicorum judices revera quinque numero fuisse, quod ex joco illo Epicharmi apparet, de quo Zenobius, Proverbb. III, 64: »ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται· παροιμιῶδες, οἷον ἐν ἀλλοτρίᾳ ἐξουσίᾳ εἰσίν· εἴρηται δὲ ἡ παροιμία παρ' ὅσον πέντε κριταὶ τοὺς κωμικοὺς ἔκρινον, ὥς φησιν Ἐπίχαρμος· συγκεῖται οὖν παρὰ τὸ Ὁμηρικὸν, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται", cett. [1]) Tragicorum vero denos fuisse judices, statuunt quoque Schneiderus [2]) et Geppertus [3]), quod tamen, ut faciunt, ex nota illa narratiuncula de decem belli ducum de prima Sophoclis tetralogia judicio concludi non posse

---

1) Vdd. etiam Schol. ad Aristoph. Aves, 445, Photius, p. 411, Hesychius, Suidas v. ἐν πέντε κριτῶν.

2) Schneider, Att. Theaterw, p. 169 (174).

3) Geppert, Altgriech. Bühne, p. 208 sq.

videtur. Recte Schultzius [1]: »Ego aliter atque illi viri docti censeo, non tantum praetores pro judicibus, sed etiam horum judicum numerum novum atque inauditum fuisse." Quando tamen infra [2]) addit: »Recte igitur cum Boeckhio (in c, I, 1, G. p. 352 et G. Hermanno, p. 93) quinos judices etiam pro tragicis poetis statuemus, ut, cum sic pro ludis scenicis omnino deni judices existant, ex unaquaque tribu unus choregus unusque judex prodierint",— haec omnia, quamvis speciosa maximaque virorum doctorum auctoritate nitentia, argumentis effici vix possunt.

Quamquam solitum fuisse credimus denarium choragorum numerum, ratio tamen habenda esse videtur eorum, quae hunc ordinem infringere potuerint. Uti enim unius alteriusve tribus inopia facere poterat, ut choragus deesset, cujus rei Pandionis tribus exemplum nobis praebet [3]), quae usque in tertium annum [4]) cho-

1) Vd. l. l. p. 12.

2) Vd. l. l. p. 13.

3) Vid. Demosthenis Midiana, p. 518, § 13: »*οὐ καθεστηκότος χορηγοῦ τῇ Πανδιονίδι φυλῇ τρίτον ἔτος τουτί*", *κ. τ. λ.*

4) De hac versione verborum »*τρίτον ἔτος τουτί*" cf. Boeckh. Ath. Staatsh. p. 606: »Der Pandionische Stamm hatte *seit* oder *vor drei Jahren* ehe Demosthenes die Rede gegen Midias schrieb, oder vielmehr *bis in das dritte Jahr* keinen geliefert, bis zwischen dem Archon und den

rum sistere neglexerat, sic etiam choragorum sive minor sive major numerus pendebat e numero poetarum, qui fabulas docturi apud archontem nomina professi forent. Nusquam enim legimus, poetas Athenienses vi coactos fuisse quoque anno fabulas docere. Fieri igitur potuit, ut aliquo deorum festo solito pauciora dramata offerrentur, in scenam inducenda. Unde necessario sequebatur paucioribus etiam choragis opus esse. Florentibus tamen in re publica litteris res non saepe ita se habuisse putanda est.

De solito poetarum tragicorum et comicorum numero viri docti dissentiunt. Schneiderus[1]), Sauppius[2]), alii de ternis utriusque generis poetis cogitant; Boeckhius et qui eum sequuntur, quinos poetas comicos totidemque tragicos certamen iniisse censent.

Hujus loci non est hanc rem accurate perpendere; hoc tantum effecisse mihi sufficiet, choragorum numerum minime constantem fuisse, quamquam denarius

---

Stammvorstehern Streit entstand und Demosthenes die Choregie freiwillig übernahm"; atque ibi annotatio de variis modis, quibus haec verba a viris doctis explicantur.

1) Vd. l. l. p. 34, 170 sqq.

2) Vd. ejus Commentatio de electione judicum in certaminibus musicis, p. 16—22.

numerus, quippe decem tribuum numero optime conveniens, maximam prae se fert veri similitudinem.

---

§ 4. QUAE PRAESTANDA FUERINT CHORAGO.

Primo choragi erat colligere choreutas, sistere chorum (*ἱστάναι χορόν*). Choreutae munus, non minus quam ipsa choragia, erat liturgia. Tribulium erat officium e tribu sua chorum sistere. Quod nisi sponte fecissent, chorago jus erat eos cogere vel mulcta irrogata vel pignore capto. Quam viam saepe inire debebat puerorum choragus, quum parentes stupri metu liberos suos inviti cederent [1]).

Deinde choragus chorum suum alere et mercedem choreutis solvere debebat. Antiquissimis temporibus non puto choreutas mercedem accepisse, quod ex sententia mea supra allata [2]) de prisca chororum conditione sponte sequitur. Postea vero, quum ars choreutica diuturnam exercitationem poscere coepisset et res

---

1) Vd. Antiphon, *περὶ τοῦ χορευτοῦ*, § 11. Ex eo enim, quod choragus, oratoris cliens, disertis verbis dicit: „*τὸν χορὸν συνέλεξα ὡς ἐδυνάμην ἄριστα, οὔτε ζημιώσας οὐδένα, οὔτε ἐνέχυρα βίᾳ φέρων, οὔτ' ἀπεχθανόμενος οὐδενί*", *κ. τ. λ.* manifeste apparet, talia vulgo in puerorum choro colligendo obtinuisse.

2) Vd. hujus commentat. p. 7.

magni laboris esset facta, haec mutatio obtinuit, ut non tantum a chorago alerentur, sed etiam mercedem acciperent choreutae [1]).

Alimenta non vilia esse debuisse, apparet e locis, in quibus traditur, chorago praebendos fuisse cibos vocem corroborantes et potiones ad id ipsum accommodatas [2]).

Tandem choragus chorum exercendum curabat, quo consilio chori praeceptorem (*χοροδιδάσκαλον*) sibi comparabat. Quod ad chorodidascali comparandi rationem in dramaticis choris attinet, quum veterum testimonia hac in re non exstent, cum Boeckhio ex analogia res dirimenda videtur [3]). Nempe in oratione Midiana Demosthenes tradit, se cum ceteris choragis de tibicinibus esse sortitum [4]); auletam vero fortasse cum dramaticorum chororum magistro comparare licet. Deinde Antiphon loco supra jam laudato (§ 11) haec habet: »*ἐπειδὴ χορηγὸς κατεστάθην εἰς*

1) Vd. Xenophon, *περὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας*, I, 13.

2) Vdd. Plutarch. de gloria Atheniens, 6. Antiphon l. l. et hypoth. hujus orat. Hypoth. in Demosth. Midian et Ulpianus ad Leptin: § 24. Cf. Boeckh. l. l. p. 602.

3) Vd. l. l. p. 601.

4) Vd. Mid. p. 519.

Θαργήλια καὶ ἔλαχον Παντακλέα διδάσκαλον", quae probant in puerorum choris eandem obtinuisse rationem didascali sorte chorago tribuendi. Unde non nimiae audaciae videtur concludere, etiam in tragicis comicisque choris sorte decretum fuisse, cuinam choragorum primo, secundo, tertio cett. *διδάσκαλον* eligere liceret e numero eorum, qui Athenis *χοροδιδασκαλίαν* profiterentur [1]).

Locum etiam choro, ubi exerceretur, choragi erat, sive in ipsius domo, sive alibi commodare. Antiphontis cliens, cui puerorum chorum instruendum fuisse jam diximus, hujus chori exercitationibus domus suae conclave cessit, quo jam ante alius chorus, Dionysiis

---

1) Huc pertinere videntur, etiamsi quaestionem non dirimant, quae apud Aristophanem reperiuntur in Avibus, a Boeckhio citatis (vs. 1403 sqq.), ubi Cinesias, dithyramborum poeta, quum Nephelococcygiam venisset ibique a Pithetaero vapularet: „*ταυτὶ πεποίηκας*", inquit,

„*ταυτὶ πεποίηκας τὸν κυκλιοδιδάσκαλον*
„*ὃς ταῖσι φυλαῖς περιμάχητός εἰμ' ἀεί*;

quibus respondet Pithetaerus:

„*βούλει διδάσκειν καὶ παρ' ἡμῖν οὖν μένων*
„*Λεωτροφίδῃ χορὸν πετομένων ὀρνέων*
„*κερκωπίδα φυλήν*;"

et locus Xenophontis Memor. III, 4, § 4: „*καὶ μὴν οὐδὲ ᾠδῆς γε ὁ Ἀντισθένης οὐδὲ χορῶν διδασκαλίας ἔμπειρος ὢν ὅμως ἐγένετο ἱκανὸς εὑρεῖν τοὺς κρατίστους ταῦτα*"; quae Xenophontis verba, ni fallor, eo spectant, quod choragorum, quibus sors favisset, quam maxime interesset, optimos sibi eligere chorodidascalos.

destinatus, usus erat [1]). Aliis, quibus nullum in domibus ad hanc rem aptum esset conclave, aedes conducendae erant, quales in Melites vico commemorantur, quibus ad choros exercitandos utebantur choragi [2]).

In ipsa denique commissione choragus sumptus facere debebat maximos in chori habitum scenicum, in sumptuosissimam vestem atque ornamenta, quibus induti et chorus et ipse choragus festo die in orchestram prodibant. Quam sumptuose haec a liberalibus choragis procurarentur, nos docent ea, quae Demosthenes in chorum suum se impendisse narrat, quippe qui sibi ipsi et choreutis aureas faciendas curaverit coronas [3]).

---

§ 5. DE CHORAGI VICARIIS ATQUE ADJUTORIBUS.

Choragiam omnino fuisse rem gravissimam atque valde operosam, inde effici potest, quod chorago plures adjuncti erant, qui ei in munere gerendo adessent ejusque absentis locum tenerent. Ita Antiphontis clienti,

1) Vd. Antiphon. l. l.

2) Hesychius. v. *Μελιτεών· οἶκος, ἐν ᾧ ἐμελέτουν οἱ τραγῳδοί.*

3) Vdd. Demosth. Mid. p. 519 sqq. Antiphanes apud Athenaeum III, p. 103 sq. Ulp. ad Leptin. § 24. Cf. Heraldus l. l. 5. Schneider, p. 119 (143).

aliis negotiis impedito, quominus ipse choragiae officiis rite fungeretur, adjuncti sunt quatuor vicarii, quorum duo a tribubus, quarum praeerat choro, creati [1]. »Ἐγὼ μὲν οὖν τούτοις (i. e. litibus contra Aristionem et Philinum, quae ei id temporis erant) προσεῖχον τὸν νοῦν, κατέστησα δὲ ἐπιμελεῖσθαι, εἴ τι δέοι τῷ χορῷ, Φανόστρατον, — καὶ ἠξίουν αὐτὸν ἄριστα ἐπιμελεῖσθαι· ἔτι δὲ πρὸς τούτῳ δύο ἄνδρας, τὸν μὲν Ἐρεχθηΐδος Ἀμυνίαν, ὃν αὐτοὶ οἱ φυλέται ἐψηφίσαντο συλλέγειν καὶ ἐπιμελεῖσθαι τῆς φυλῆς ἑκάστοτε, δοκοῦντα χρηστὸν εἶναι, τὸν δ' ἕτερον τῆς Κεκροπίδος, ὅσπερ ἑκάστοτε εἴωθε ταύτην τὴν φυλὴν συλλέγειν· [2]) ἔτι δὲ τέταρτον Φίλιππον, ᾧ προσετέτακτο ὠνεῖσθαι καὶ ἀναλίσκειν εἴ τι φράζοι ὁ διδάσκαλος ἢ ἄλλος τις τούτων, ὅπως ἄριστα χορηγοῖντο οἱ παῖδες καὶ μηδενὸς ἐνδεεῖς εἶεν διὰ τὴν ἐμὴν ἀσχολίαν." Simul ex hoc loco apparet mira choragorum cura, ne quid chorum suum deficeret.

Praeter chorodidascalum et hypodidascalum, quorum mentionem jam fecimus, commemorantur quoque χορολέκτης et χοροποιός.

---

1) Antiphon l. l. § 12, sqq.

2) Ex hisce intelligo, hunc quoque a tribu creatum esse. Quod ad haec verba attinet „τὴν φυλὴν συλλέγειν", quae etiam supra de Amynia usurpantur, ea significare puto, *tribus chorum colligere*. Probant igitur, quod supra diximus, choreutas ex ipsa tribu, quae chorum sisteret, esse debuisse.

Chorolectes, quod nomine saltem significatur, choragum in choreutis colligendis adjuvisse videtur [1]. Veri videtur simillimum duos viros, de quibus Antiphon in loco a nobis citato loquitur, Amyniam ab Erechtheïde tribu creatum alterumque e tribu Cecropide, chorolectas fuisse; unde efficere licet, suum quamque tribum creasse chorolectam, ut choragos se singulis annis excipientes adjuvarent.

Nomen χοροποιοῦ (quod Schneiderus l. l. jure statuere videtur) apud Dores potius viguisse, e locis, ubi de eo sermo est, concludere licet. Idem fortasse fuit, qui Dorice χοραγός quoque dicitur, eum dico qui tum Doricis choris praeibat (κορυφαῖος), tum eos instruebat (χοροδιδάσκαλος).

§ 6. DE CHORAGIAE SUMPTIBUS.

Ex omnibus iis, quae jam diximus, apparuit, choragiam rem fuisse multi laboris. Nec vero minores

1) Vid. Pollux, IV, 106. Antiphon, l. l. Aelianus, hist. anim. XV, 5. Suidas i. v. χοροδέκτης (ut verisimile est, legendum: χορολέκτης). Uterque horum chorolecten coryphaeum fuisse existimant. Cff. Schneider, p. 117 (141). Geppert, l. l. p. 202.

2) Vid. Pollux, l. l. Xenophon, Agesilaus, 2, 17. Plutarchus apophthegm. Lacon, p. 208, sq. Cff. Schneider et Geppert, ll. ll.

eadem sumptus flagitabat, qui tamen sumptus, ex ipsius rei natura, diversi erant pro diversis, quibus choragus praeesse poterat, choris. Velut tibicinum chori sumptus majores erant, quam chori tragici [1]), qui rursus superabant impensa facienda in comicum chorum, quum nimis magnos sumptus aureis ornamentis, purpureis vestibus aliisque ejusmodi rebus in comoedia impendere, parum honestum haberetur.

Etsi nonnulli nobis supersint loci veterum, qui diversarum choragiarum sumptus tradunt; inde tamen universam rationem nequaquam conficere possumus, quippe quae pro cujusque choragi sive liberalitate sive parsimonia diversa fuerit.

Lysias e. g. narrat [2]), Aristophanem quendam in duabus tragoedorum choragiis sibi et patri quinque millia drachmarum impendisse, h. e. in singulis bis mille quingentas drachmas. Princeps vero locus, ubi integram paene liturgiarum sumptuum computationem invenimus, est ejusdem Lysiae in oratione *ἀπολογία δωροδοκίας* [3]), ex quo ea tantum, quae ad dramaticam

---

1) Vid. Demosth. Midiana, p. 565.
2) Vid. Lysiae oratio pro Aristophanis bonis, p. 642. Cf. Boeckh. l. l.
3) Vid. Orat. cit. p. 698 sqq.

pertinent choragiam, afferemus. De his igitur tradit, clientem suum choragiae tragicae impendisse minas triginta, comicae »σὺν τῇ τῆς σκευῆς ἀναθέσει" [1]) sedecim. Omnes hujus clientis liturgiae per novem annos ei constiterunt, si summam computamus, 636 minis, i. e. 28,620 florenorum [2]).

Sed jure Boeckhius ostendit, hunc Lysiae clientem debitum modum longe excessisse, sive laudis cupidine ductum, sive liberalitate. Etenim duodevicesimo anno choragus sponte jam factus erat, statim post probationem (δοκιμασίαν), quod nequaquam facere tenebatur; idem unius anni spatio plures ordinarias liturgias susceperat, idque per aliquot annos continuos, qua re per legem immunis erat; tum praeter trierarchiam, quae ceteris omnibus liturgiis absolvebat, liturgiis ordinariis functus erat; denique non tertio quoque anno, qua re legi satisfecisset, sed septem annos continuos trierarchus fuerat. Quo accedit quod post trierarchiam per annum integrum omnibus liturgiis ei soluto esse licuerit: quocirca orator rem nequaquam in majus auxisse putandus est, con-

1) De horum verborum significatione vid. infra.

2) Cf. Boeckh., l. l. p. 605.

tendens, clientem suum secundum legem ne quartam quidem partem eorum, quae praestitisset, praestare debuisse. Si porro reputamus nobiscum, in novem hisce annis fuisse annos gravissimi belli et pacis annos vel infaustiores fuisse annis bello infestis, ita ut duobus extraordinariis tributis (εἰσφοραῖς) opus fuisset, quae singula ter millenis fere florenis constiterant, fortasse rem non exaggeramus statuentes, ordinariis temporibus novem annorum liturgias quatuor millium circiter fuisse florenorum, h. e. paullo amplius quadragenis florenis annuis.

Qui sumptus, si Boeckhii, qui eos vel pluris quam septingenis florenis annuis aestimat, ingeniosa computatione confidendum est, eodem redeunt, acsi nostra aetate civis amplius duo millia florenorum a re publica dono acciperet, ratione habita magni in pecuniae pretio atque omni vitae ratione discriminis nobis cum antiquis intercedentis.

Negari tamen non potest, liturgiis multorum res familiares pessumdatas fuisse, si quando, quod saepius fiebat, homines laudis cupidine ducti multo plus praestarent, quam lex posceret aut res sua pateretur. Propterea multi in eas, tamquam in publicam calami-

tatem invehuntur, ut e. g. Demosthenes [1]) de choragis loquens dicit: »*οἱ ἀνηλωκότες πολλάκις πάντα τὰ ὄντα εἰς τὰς λειτουργίας*", et Aeschines [2]): »*ὁ χορηγὸς, ὁ μέλλων τὴν οὐσίαν τὴν ἑαυτοῦ εἰς ὑμᾶς* (sc. cives suos) *ἀναλίσκειν.*" Propterea multi aegre ferebant ludorum magnificentiam, cogitantes, in eos divitias effundi, quae utilioribus et magis necessariis rebus cum multo majore reipublicae fructu impendi potuissent. Plutarchus hac in re haud absonum citat Laconis dictum, hunc abusum carpentis [3]): »*ὡς ἁμαρτάνουσιν οἱ Ἀθηναῖοι μεγάλα, τὴν σπουδὴν εἰς παιδιὰν καταναλίσκοντες, τουτέστι μεγάλων ἀποστόλων δαπάνας καὶ στρατευμάτων ἐφόδια καταχορηγοῦντες εἰς τὸ θέατρον· ἂν γὰρ ἐκλογισθῇ τῶν δραμάτων ἕκαστον ὅσον κατέστη, πλέον ἀνηλωκὼς φανεῖται ὁ δῆμος εἰς Βάκχας καὶ Φοινίσσας καὶ Οἰδίποδας καὶ Ἀντιγόνην καὶ τὰ Μηδείας κακὰ καὶ Ἠλέκτρας, ὧν ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας καὶ τῆς ἐλευθερίας πολεμῶν πρὸς τοὺς βαρβάρους ἀνάλωσεν*", *κ. τ. λ.*

Non tamen est, quod haec res nos tantopere offendat reputantes, quot opera immortalia debeamus Athe-

---

1) Vid. in Midiana, c. 18.

2) Vid. in orat. c. Timarch., p. 2 (35 Reisk.). Compara Xenoph. Symp. IV, § 30 et 45.

3) Vid. Plutarch. de gloria Athen. c. 6, p. 349, a.

niensium huic scenicorum certaminum furori et quanto in artibus hegemonia, quam Athenienses prae omnibus Graecis sibi vindicarunt, anteponenda sit politicae illi, quam fortasse hanc ipsam ob causam amiserunt.

Nihilominus quo tempore res publica maxime florebat, neutrum horum, nec res bellica, neque artes neglectae sunt. Demosthenis vero aetate merito civibus levitas ac dementia objectae sunt, quibus civitatis libertatem ludendo pessumdederint, quod ab ipso Demosthene factum videmus, ubi dicit[1]: »*καίτοι τί δήποτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νομίζετε, τὴν μὲν τῶν Παναθηναίων ἑορτὴν καὶ τὴν τῶν Διονυσίων ἀεὶ τοῦ καθήκοντος χρόνου γενέσθαι, — εἰς ἃ τοσαῦτ' ἀναλίσκετε χρήματα, ὅσα οὐδ' εἰς ἕνα τῶν ἀποστόλων, καὶ τοσοῦτον ὄχλον, καὶ τοσαύτην παρασκευὴν, ὅσην οὐκ οἶδ' εἴ τις τῶν ἁπάντων ἔχει*", *κ. τ. λ.*

Plura erant, quibus Athenienses choragos suos impediebant, quominus nimiae indulgerent parsimoniae. Qui non satisfaciebat iis, quae lex poscebat, a magistratibus ad officium revocabatur[2]. Fieri tamen poterat, ut quis legi quidem satisfaceret, non vero populo, qui tali in causa iracundiam satis manifeste

1) Vid. Demosth., Philipp. I, p. 51, Reisk.
2) Xenophon, Hiero, 9, 4.

prodere solebat. Comici quoque, populo placere studentes, pervicacissimis jocis tales choragos vexabant, qui joci, a populo maximo cum applausu accepti, chorago praesenti gravissimae erant injuriae [1]). Praeterea sumptibus parcentes choragi se ipsos victoriae in chororum certamine reportatae gloria et praemiis privabant, de quorum momento infra copiosius agemus.

Vidimus ergo de iis, quae chorago praestanda fuerint deque sumptibus, quos impendere debebat: quibus nobis probasse videmur, ea nequaquam levia fuisse. Quibus commodis illa cura illique sumptus compensarentur, quaenam in agone choragi honorificae partes essent in sequenti nostra disquisitione exponere conabimur.

---

§ 7. DE CHORAGI CONDITIONE.

In Libanii hypothesi ad Midianam Demosthenis orationem choragi haec datur definitio, eum fuisse: »τὸν τὰ ἀναλώματα παρέχοντα τὰ περὶ τὸν χορόν", et talem omnino hactenus eum cognovimus; sed haec definitio multum abest, ut omnia complectatur.

Jam antiquitus choragia res erat, quam multi consequi

1) Cff. e. g. Aristophanis Acharnenses, 1154, alia.

studebant: »μεγάλην ἤδη τότε σπουδὴν καὶ φιλοτιμίαν τοῦ ἀγῶνος ἔχοντος" Plutarchus dicit, loquens de aetate Themistoclis [1]), et etiam serioribus liberae reipublicae temporibus idem studium obtinuisse, apparet ex exemplo supra laudato clientis illius Lysiae, qui intra novem annorum spatium tantam pecuniae summam in liturgiis impenderat, nec minus eorum, qui totum patrimonium obeundis liturgiis consumpserant.

Unde explicandum hoc studium, cuius causa non satis apparet e superioribus, in quibus vix quicquam attigimus praeter curas et sumptus choragorum?

Supra jam commemoravimus, choragum, ut liturgum, publicum munus obiisse et quasi magistratu functum esse, qui magistratus ei jura daret in cives, e. g. eos multis sive capiendo pignore cogendi. Sed praeterea, quod nomine jam significari vidimus, dux erat chori. Ut trierarchus praeërat navi, quam armaverat, ita chorago moderamen mandabatur omnium, quae ad chorum ipsius eiusque certamen pertinerent

Deinde, victoria reportata, magni honores choragum victorem manebant, non tantum ipso victoriae tempore, sed per totius vitae spatium, quod infra ostendemus.

1) Vid. Plutarch. in Vita Themistoclis, c. 5.

Praeterea haec via erat aurae popularis captandae, quam homines gloriae ducti cupidine nequaquam negligere solebant. Athenienses enim, ludorum amore correpti, virum, a quo certamina scenica maxime illustrata essent, praeter victoriam omnibus in civitate honoribus remunerari solebant.

Non vero omittendum est aliud quid, quod praeter ea, quae jam commemoravimus, choragiam civibus magnopere commendabat.

Si quaerimus, quam ob rem chorus sisteretur et maxima cura exerceretur, hoc erat, ut in orchestram prodiret in honorem dei, sive Dionysi, sive alius, cujus sacra ornare atque illustrare choris inprimis mandatum erat: munus igitur tum choragi, tum choreutarum non tantum liturgia erat, sed ad res sacras cultumque divinum quoque pertinebat, quasi sacerdotium, non vero perpetuum sed temporarium, quo, quamdiu durabat dignitas, choragus sacer erat et sacrosanctus.

Demosthenes in Midiana hujus rei exempla affert maxime perspicua, Athenienses hoc modo alloquens [1]: »ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι τοὺς χοροὺς ὑμεῖς ἅπαντας τού-

1) Vid. Demosth. contra Midiam, p. 530, § 51, sqq.

τους καὶ τοὺς ὕμνους τῷ θεῷ ποιεῖτε οὐ μόνον κατὰ τοὺς νόμους τοὺς περὶ τῶν Διονυσίων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς μαντείας ἐν αἷς ἁπάσαις ἀνῃρημένον εὑρήσετε τῇ πόλει, ὁμοίως ἐκ Δελφῶν καὶ ἐκ Δωδώνης, χοροὺς ἱστάναι κατὰ τὰ πάτρια καὶ κνισᾶν ἀγυιὰς καὶ στεφανηφορεῖν." Manifestum igitur, ita Demosthenes pergit, choros eorumque choragos festo die pro vobis (i. e. ut vos, Athenienses, legibus atque oraculis obsequamini) sacras coronas gestare. Quicumque vero hominem sacra illa redimitum corona, sive choreutam sive choragum, injuria afficit, atque hocquidem in ipso festo atque in ipso dei templo: »τοῦτον ἀλλό τι πλὴν ἀσεβεῖν φήσομεν;"

Aliud exemplum hoc est, quod ne chorago quidem licebat, peregrinum qui in chorum se introduxisset, ejicere choro, nisi soluta multa; multoque minus lex permittebat peregrinum in orchestram inducere, quod si fecisset, vicies majore pecuniae summa multabatur. »Τίνος ἕνεκα;" sic quaerit in eadem oratione Demosthenes[1]): »ὅπως μὴ τὸν ἐστεφανωμένον καὶ λειτουργοῦντα τῷ θεῷ ταύτην τὴν ἡμέραν καλῇ μηδ' ἐπηρεάζῃ μηδ' ὑβρίζῃ μηδεὶς ἐξεπίτηδες." Quam rem deinde duobus illustrat exemplis [2]). Eo majus flagitium perpetrabat,

1) Demosthenes, l. l. § 56. 2) l. l., § 58. sqq.

qui injuria afficiebat choragum munere suo fungentem. Paullo infra [1]) orator duos narrat choragos (Tisiam, Iphicratis fratrem, atque Chabriam), quorum alter alteri esset inimicissimus, sacri muneris reverentia ductos, quo tempore inter se certarent, nullo modo hanc inimicitiam prodidisse.

Quin etiam choragos in officio praestando injuste agere sinebant Athenienses, dummodo hoc spectarent, ut ludum illustriorem redderent [2]). Tum demum rationibus reddendis erant obnoxii, quum munere defuncti essent [3]). Tunc vero victoria reportata multam, quam incurrerent, ample compensabat, praesertim quum cives victori facile condonarent injustam rationem, qua victoria parta esset.

Praeterea tribus, quippe in cujus gratiam deliquisset, chorago suo vulgo non defuisse putanda est.

Sed ipsius Demosthenis exemplo probatur, hanc choragi auctoritatem et sanctitatem non semper suffecisse, ut ab eo arcerent invidorum adversariorum insidias. Nempe inimicus ejus Midias omnes iniit vias,

---

1) l. l., § 62. sqq.
2) l. l., p. 533, § 58. sqq.
3) l. l., p. 517, § 9.

ut ei munus difficillimum redderet atque impediret, quominus victoriam reportaret. Primo enim conatus est inter Dionysiorum curatores (τοὺς ἐπιμελητάς) creari, deinde choreutas contra eum instigare. Quod postquam male ei cessit, chori praeceptorem corrumpere conatus est. Quum etiam hic conatus irritus esset, ad vim manifestam progressus, nocte irrupit in officinam aurificis, qui ornatum coronasque chori fabricabatur, et bonam partem horum ornamentorum delevit. Quum nihilominus chorus, bene exercitatus, bene vestitus atque ornatus in theatrum prodiret, clavis januas oppegit, ut, quominus justo tempore in orchestram procederet, impediret. Denique eo furoris processit, ut choragum in ipso Dionysiorum festo ante omnium spectatorum oculos in orchestra, ubi, ut suo officio fungeretur, adesse debebat, manu feriret. Haec omnia facta sunt, ut Demosthenes victoria frustraretur, quod consilium tandem assecutus est, judicibus auro corruptis [1]). Haec ob delicta, praejudicio a populo in comitiis lato (προβολῇ), condemnatus est. Demosthenes vero, cui praejudicium illud non satisfaciebat, novam

1) Vid. Demosth. c. Midiam, p. 516. sqq.

litem ei intulit, nempe actionem propter laesam civitatem ac legem [1]).

Non enim solus Demosthenes injuria affectus erat, sed sanctus choragus sacris muneris officiis fungens. Hoc scelus erat legis violatio non tantum, erat injuria universae civitati nec minus ipsi deo et rebus divinis illata.

Quamnam vero poenam Demosthenes de tali scelere poposcit? Ex quodam loco [2]) patet, nisi rhetorica fortasse insit hyperbole, eum capitis Midiam accusasse. Tam sacrum habebatur choragi munus.

---

§ 9. DE CHORAGI VICTORIA.

De choragi ipso die festo, quum chorus certamen iniret in orchestram prodiens, partibus, nihil fere nobis innotuit. Hoc unum ex Demosthenis in Midiana loco citato apparet, choragum eo die in orchestra adesse debuisse, praesentibus jam spectatoribus.

Alia hac de re non sunt tradita. Nobis igitur, ut consilio nostro ea omnia adumbrandi, quae ad choragi

---

1) Vid. quae de actione Midiana acute disputavit Bake, Schol. Hypomn. Vol. III in epistola dedicatoria ad Hermannum.

2) Vid. Midiana, p. 537, § 70.

in commissione scenica partes pertineant, satis faciamus, reliquum est de ejus victoria agere.

Si proprie loqui volumus, non choragus victoriam reportabat, sed tribus. Decem enim tribus Atticae inter se choris certabant, a choragis vero repraesentabantur, ut in certamine, ita in victoria. Hac conditione choragum victorem dicere licet [1]).

Chorago, cui omnis fere chori instituendi, totiusque certaminis praeparandi cura commissa fuerat, victori maximi habebantur honores. Victoriae insigne apud Graecos erat corona, in Dionysiorum certamine corona hederacea, quum hedera Baccho sacra esset [2]).

Praeter coronam, tribus sive potius choragus quoque accipiebat praemium, nempe tripodem, quem deinde sollemni ritu deo consecrare solebat. Haec sollemnis consecratio (ἀνάθεσις), qua haud paullum augebantur choragiae sumptus, erat tripodis collocatio in basi inscriptione conspicua, sive in ipso theatro, sive in Dionysi templo, sive in via tripodum dicta propter

1) Xen. Memor. III, 3. § 5. *καὶ δαπανᾶν δ'αὐτὸν* (Antisthenem, qui saepius egregie functus choragia praetor fuerat creatus) *εἰκὸς μᾶλλον ἂν ἐθέλειν εἰς τὴν σὺν ὅλῃ τῇ πόλει τῶν πολεμικῶν νίκην ἢ εἰς τὴν σὺν τῇ φυλῇ τῶν χορικῶν.*

2) Vid. Demosth. Mid. p. 532 et 535. Rsk. Alciphr. Epp. II, 3. p. 231 et 238 Bergk., Athenaeus V, p. 217.

choragicorum tripodum ibi collocatorum multitudinem, quae Lenaeo vicina erat. Hae tripodum bases et magnificentia et forma conspicuae erant, quod duae usque ad hujus saeculi initium integrae conservatae ostendebant: altera quadrata erat aedicula aditum praebens in antrum; insuper etiamnum conspiciebatur pulcher sedentis Bacchi truncus. Antiquum illud monumentum Christiani in sui cultus usum converterant, quippe quibus pro sacello erat, qua causa factum esse videtur, ut servata fuerit. In bello, quod hujus saeculi initio cum Turcis gesserunt Graeci, partim deletum est. Alterum, quod adhuc superest aedificium, miro modo a populo Diogenis laterna cognominatum, rotunda est aedicula undique clausa, octo columnis elegantissimis circumdata, quadrata nitens basi. Columnae illae portant tectum rotundum magnum in florem desinens, qui ad ipsum tripodem ferendum destinatus fuisse videtur. Anaglypha in Zophoro elaborata imaginem ferunt piratarum Tyrrhenorum ob injuriam Baccho illatam in delphinos mutatorum. Vulgo hoc nominatur choragicum Lysicratis monumentum, quia inscriptio ostendit, Lysicrate, Lysithidae filio, chorago, tribum Acamantidem puerorum choro vicisse, Euaeneto archonte, i. e. a^{0}. 334 a. C.

Haec sola choragorum monumenta nobis supersunt, cujus rei fortasse causa erat magnificentia, qua ceteris plerisque antecellebant; constat enim, nonnulla sola columna aut ornate sculpta basi constitisse.

Geppertus [1]) contendit, tripodem a chorago consecratum non fuisse praemium, sed chorago victori concessum tantum fuisse victoriam celebrare tripode suis sumptibus facto atque in dei honorem consecrato; quae tamen sententia veri non valde similis mihi videtur. Nempe, ut eam probet, locum citat Lysiae [2]), ubi cliens inter ceteros choragiae sumptus etiam tripodem referret. Sed hoc ibi non legitur. Non tripodem inter sumptus choragicos refert, sed tripodis consecrationem, ad quam, ut vidimus, et basis pertinet arte facta et festa quoque sine dubio ac sollemnis in basi collocatio in dei honorem (*ἀνάθεσις*). Hoc tamen constat, choragos interdum non tripodem consecrasse, sed minores pretii res, e. g. taeniam, si rem parvo sumptu absolvere volebant [3]). In victoria saltem comica consuevisse videntur choragi ludi instrumenta

---

1) Vid. Geppert, l. l., p. 286, (1).

2) Vid. Lysiae *ἀπολογία δωροδοκίας*, p. 698.

3) Vid. Theophr. Charact. *περὶ ἀνελευθερίας*, p. 62. Edit. Casaub. Cf. Geppert, l. l. p. 267.

(*σκευήν*) consecrare, ut apparet ex eadem Lysiae oratione [1]).

De comoedorum itidem chori victoria e veterum locis probari non potest, quod de choris tragoedorum, tibicinum, chorisque lyricis virorum puerorumque, praemium hujus victoriae tripodem fuisse [2]).

Postridie victoriae choragus celebrabat festum, quod *τὰ ἐπίνικια* dicebatur. Deo sacrificabat, amicorum familiariumque accipiebat gratulationes, lautas dabat epulas, quarum participes erant choreutae omnesque ii, qui ad victoriam aliquid attulissent. Saepe uno die festa non absolvebantur, diebus etiam sequentibus cum paucioribus intimis epulabatur victor, magna cum hilaritate celebrans honores, quos tantis curis, tanta liberalitate sibi paraverat [3]). Prioribus illis epulis adesse, choreutae jus suum existimabant. Si forte choragus choreutas suos post victoriam ad convivium

---

1) Vid. Lysiae *ἀπολ. δωροδ.* p. 698. sq.: *„ἐπὶ δὲ Εὐκλείδου ἄρχοντος κωμῳδοῖς χορηγῶν Κηφισοδότῳ ἐνίκων, καὶ ἀνάλωσα σὺν τῇ τῆς σκευῆς ἀναθέσει ἑκκαίδεκα μνᾶς", κ. τ. λ.* Huc quoque fortasse pertinet Aristoph. Pac. 763: *„ἀλλ' ἀράμενος τὴν σκευὴν εὐθὺς ἐχώρουν."* Cur enim ludi instrumenta sustulit? Ut ea deo consecraret.

2) Hac de re cf. Schneider l. l. (150).

3) Vid. Plato, Symposium, p. 173, A. p. 174, A.

vocare neglexisset, sequenti deorum festo nequaquam ei parcere solebant chori comici [1]).

---

1) Vid. Aristoph. Acharnenses, 1150, sqq., ubi in Meinekii editione haec leguntur:

„Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος τὸν ξυγγραφῆ τῶν μελέων ποιητήν,
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ, κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς·
ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον."

PARS II.

DE COMMISSIONE SCENICA TRIBUUM CERTAMINE.

Hisce de choragi officio, conditione, victoria monitis, disputationem meam absolutam existimare possem, ni superesset quaestio in nostro argumento maximi momenti.

Hactenus enim de commissione scenica locuti ut de certamine tribuum Atheniensium, quibus praeessent choragi, gravissimam rei partem neglexisse videbimur. Etenim virorum doctorum scripta de rebus scenicis legentes de commissione scenica semper ita scribi reperimus, quasi fuerit certamen poetarum sive tragicorum sive comicorum, choragorum liberalitate illustratum; quos quidem choragos quamvis inter se quo-

que certasse fateantur, eorum certamen nil nisi additamentum poetarum certaminis habendum esse statuunt.

Dum nos in iis, quae supra monuimus, choragum principem habuimus in commissione personam, ex horum sententia non choragus sed poeta certaminis caput fuit [1]).

Neque haec opinio omni omnino argumento caret; nititur contra permultis antiquorum locis, tum ipsorum veterum scriptorum nonnullis (ut saltem primo aspectu videri potest), tum praesertim eorum, qui scriptoribus explicandis operam dederunt, scholiastarum, grammaticorum, aliorum, quos quum inspicimus, ubique de poetarum certaminibus, victoriis, cladibus agi videmus.

Pauca e magna copia afferemus: Vita Aristophanis [2]): »*ὕστερον δὲ καὶ αὐτὸς ἠγωνίσατο*"; Suidas v. *Αἰσχύλος*: »*ἠγωνίζετο δὲ αὐτὸς ἐν τῇ ο' ὀλυμπιάδι ἐτῶν ὢν κε';*" idem v. *Σοφοκλῆς*: »*καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν*"; Vita So-

1) Quinam sint, qui ita statuerint, et qua ratione rem se habuisse finxerint, infra videbimus, ubi accuratius in eorum opiniones inquirere nobis propositum est.

2) In Küsteri editione, p. XIII.

phoclis: »νίκας δὲ ἔλαβεν εἴκοσιν, ὥς φησι Καρύστιος, πολλάκις δὲ καὶ δευτερεῖα ἔλαβε, τρίτα δ' οὐδεπώποτε"; didascalia ad Aeschyli Persas: »ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ (Ποτνιεῖ), Προμηθεῖ," etc.

Haec omnia scholiastarum ac biographorum. Sed ipsorum veterum loci exstant, unde idem apparere videtur, qualis e. g. Aristophanis locus, ubi in Nubium parabasi vs. 520 dicit:

»οὕτω νικήσαιμί γ' ἐγὼ καὶ νομιζοίμην σοφός",

et paullo infra, vs. 524, sqq.:

»εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν
»ἡττηθεὶς, οὐκ ἄξιος ὤν" [1]).

Talibus nitentes locis viri docti non tantum statuerunt, poetas inter se certasse, quod nemo sane negabit, sed poetarum illud certamen in scenica commissione principem tenuisse locum.

Etenim quum negare non possint, choragorum quoque certamina obtinuisse, ambo haec certamina ita con-

1) Porro afferri possunt Eq. 535 de Cratino: »ὃν χρῆν διὰ τὰς προτέρας νίκας πίνειν ἐν τῷ πρυτανείῳ, κτε." Cf. 521, Vesp. 1050, Pac. 768, 769, alibi. Exemplum verbi ἀγωνίζεσθαι vide Arist. Acharn. v. 189 ὑπ' αὐτὸν τὸν χρόνον ὅτ' ἐνθαδὶ Θέογνις ἠγωνίζετο (certabat tragoediis).

jungere conati sunt, ut de choragorum certamine quasi de additamento quodam poetarum certaminis semper loquantur.

An jure id faciant, hac disquisitione investigabo, quam ita instituam, ut ante alia omnia de poeta et chori praeceptore videamus; quam quaestionem si absolverimus, jam facilius judicare nobis licebit de necessitudine, quae inter eos et choragum intercesserit.

CAPUT I.

DE POETA ET CHORI PRAECEPTORE, EORUMQUE IN SCENICO CERTAMINE PARTIBUS.

De ratione, qua poeta dramaticus acceperit chorum, apud omnes constat. Tragicus quum tetralogiam, comicus quum comoediam composuisset, easque proximis Dionysiis in scenam ducere vellet fabulas, adibat magistratum, qui his festis praeerat, ergo, ut supra vidimus, Magnis Dionysiis archontem eponymum, Lenaeis regem. Magistratui tradebat fabulam, petens, ut, si fabula ei placuisset, indicaret, qui suis sumptibus eam in scenam induceret. Hoc dicebatur » χορὸν αἰτεῖν", *petere chorum.* Fabulas a poetis oblatas dijudicare penes archontem fuisse videtur, cui essent traditae. Si poeta ei gratus esset ejusque fabula ei placeret, chorum concedebat: sin minus, recusabat.

Ita apud Athenaeum [1]) locum invenimus Cratini, ubi

1) Vid. Athen. XIV, p. 639 f.

loquitur de archonte, qui Sophocli denegaverat chorum: »ὃς οὐκ ἔδωκ' αἰτοῦντι Σοφοκλέει χορὸν, Τῷ Κλεομάχῳ δ', ὃν οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ Ἐμοὶ διδάσκειν οὐδ' ἂν εἰς Ἀδώνια", et ipsi Cratino idem accidisse apparet ex Hesychii loco[1]: »Κρατῖνος ἀπὸ διθυράμβου ἐν Βουκόλοις ἀρξάμενος, ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄρχοντος ἀφ' οὗ ἠτήκει", quemadmodam verba depravata verissime correxit summus Casaubones. Archonti igitur in duobis hisce exemplis chori recusatio exprobratur.

Coram archonte tamen poetarum disceptationem de suarum fabularum laudibus obtinuisse, confici posse videtur e loco Platonis[2]: »νῦν οὖν, ὦ παῖδες μαλακῶν Μουσῶν ἔκγονοι, ἐπιδείξαντες τοῖς ἄρχουσι πρῶτον τὰς ὑμετέρας παρὰ τὰς ἡμετέρας ᾠδὰς, ἂν μὲν τὰ αὐτά γε ἢ καὶ βελτίω τὰ παρ' ὑμῶν φαίνηται λεγόμενα, δώσομεν ὑμῖν χορὸν, εἰ δὲ μὴ, ὦ φίλοι, οὐκ ἄν ποτε δυναίμεθα." Quae tamen verba »δώσομεν χορὸν" (quae etiam occurrunt in alio Platonis loco[3]) aliquid habere, quod cum vul-

---

1) Vid. Hesych. v. (corrupta) »πυρπερέγχει." Cf. Meineke, Fragm. Com. Gr. II. p. 26.

2) Vid. Plato de Legibus VII, p. 817, e.

3) Vid. Plato, de Republ. II, p. 383, c: »χορὸν οὐ δώσομεν", ad quae verba scholiasta annotat (cf. Suidas, v. χορὸν δίδωμι): »παρὰ γὰρ Ἀθηναίοις χοροῦ ἐτύγχανον οἱ κωμῳδίας καὶ τραγῳδίας ποιηταὶ οὐ

gari hac de re opinione non prorsus congruere videatur, fatendum est. Sed si haec mittamus, restat quaerere, uter, si poeta et chori praeceptor non idem erat, uter igitur fuerit, qui chorum ab archonte petierit, utrum ipse fabulae poeta, an potius ille, qui institueret chorum?

Causa, quae hanc quaestionem difficillimam reddit, haec est, quod plerumque poeta simul chori praeceptoris munus suscipiebat.

Maximi nihilominus nobis est momenti discernere, utrum poeta, quatenus hoc nomine gaudebat, an chorodidascalus, vel si non poeta esset, chorum acciperet. Ex hac enim quaestione, quae parvi momenti primo aspectu videri potest, totum fere judicium, quod nobis de choragiae auctoritate ferendum est, pendet.

Inde autem, quod poeta et chorodidascalus plerumque esset unus idemque, sponte sequitur, apud ipsos veteres haec nomina eadem semper fere significatione usurpari atque saepe permutari, ita ut nobis difficillimum sit, discrimen harum notionum revera inter se discrepantium recte discernere.

πάντες, ἀλλ' οἱ εὐδοκιμοῦντες καὶ οἱ δοκιμασθέντες ἄξιοι. Chorum ab archonte accipere dicebatur: „χορὸν λαμβάνειν." Vid. Aristoph., Ranae, 94; Aeschyli Vita; supra citatus Hesychii locus, alia.

In duobus Herodoti locis notiones distingui videmus, de poeta dithyramborum Arione quum dicat[1]: διθύραμβον ποιήσαντα καὶ διδάξαντα" et de Phrynicho[2]: (ὑπεραχθεσθέντες) ποιήσαντι Φρυνίχῳ δρᾶμα Μιλήτου ἅλωσιν καὶ διδάξαντι."

Aristophanes contra vocibus ποιητής et διδάσκαλος promiscue uti videtur, quod eo impensius miramur, quo luculentius praebet ipse exemplum, fabularum poetam ac didascalum non semper eundem fuisse. Fabulas enim, quas fecerat, plerumque Philonidi aut Callistrato chororum magistris docendas eum tradidisse constat. In Acharnensium e. g. parabasi vs. 627 comicus de se ipso:

»Ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν".

Paullo infra, vs. 632:

»Φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν ὁ ποιητής."[3])

Idem in Equitum parabasi, vs. 507:

»Εἰ μέν τις ἀνὴρ τῶν ἀρχαίων κωμῳδοδιδάσκαλος ἡμᾶς
»ἠνάγκαζεν λέξοντας ἔπη πρὸς τὸ θέατρον παραβῆναι,

---

1) Vid. Herod. I, 20. 2) Vid. Herod. VI, 21.

3) Hoc tamen loco fieri posse mihi videtur, ut diversa nomina ab Aristophane de industria usurpata sint, ita ut verba „ὁ διδάσκαλος ἡμῶν" ad Callistratum pertineant, qui Acharnensium fabulam docuisse traditur;

»οὐκ ἂν φαυλῶς ἔτυχεν τούτου· νῦν δ' ἄξιός ἐσθ' ὁ ποιη-
τής," κ. τ. λ.

Unde perspicue apparet, poetam, cujus mentio fit, comoedodidascalum quoque fuisse [1]).

Philonidem contra et Callistratum ipsius didascalos poetas vocat in Vesparum parabasi, vs. 1018:

» —— ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς."

Nullum fere obtinuisse discrimen inter poetam et didascalum ex omnibus his locis apparet [2]). Hic vero quaerendum est, utrum poetae, quatenus esset poeta, an potius didascalo, sive poeta esset sive non esset, in fabula agenda fuerint partes. Quod ad hanc quaestionem attinet, constat, si poetarum fabulae non ab ipsis docerentur, non poetarum nomina, sed didascalorum, a quibus doctae essent, in indicibus esse posita.

---

loca vero, ubi ποιητής occurrit, ad ipsum spectent Aristophanem.

Quidquid est, argumentum manet, vocabula ποιητής et διδάσκαλος facile inter se commutari potuisse.

1) Neque hic locus, ut praecedens, dubitationibus ansam praebet, quum in Equitum fabula Aristophanes et poeta et didascalus fuerit.

Vid. praeterea non minus lucidus locus in Pacis parabasi vs. 734 sqq.

2) Adde etiam ea, quae reperiuntur apud Julium Richter in Prolegg. ad Aristoph. Vespas, ubi agit de didascaliis, p. 5: „Quo sensu (ut significet et opus poetae et chori instituendi docendique munus) verbum διδασκαλία occurrit apud Platonem Gorg. p. 501 f.: „ἡ τῶν χορῶν διδασκαλία", uti consentaneum propterea est quod subsequitur mox

In libello περὶ κωμῳδίας inscripto [1]) de Aristophane haec legimus: »ἐδίδαξε δὲ πρῶτος ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου· τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰς δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ· διὰ δὲ τοῦτο νομισθεὶς ἀγαθὸς ποιητὴς τοὺς λοιποὺς ἐπιγραφόμενος ἐνίκα· ἔπειτα τῷ υἱῷ ἐδίδου τὰ δράματα.'' Quaestionem, utrum ea quae hoc loco commemorantur de diversa earum, quas Callistrato, earumque, quas Philonidi tradidit, fabularum indole, hic mittentes, unum saltem ex hoc loco efficere et ad nostrum adhibere usum licebit. Quodsi enim scriptum est ἐπιγραφόμενον Aristophanem cetera dramata in scenam dedisse, apparet antea non ipsius nomen inscriptum fuisse fabulis, quas fecerat, i. e. Callistrati et Philonidis nomina fabulis quas docuerant Aristophaneis esse imposita. Dicitque scholiasta ad Pluti vs. 179 Philonidem »τὸν ἐπὶ τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐπιγεγραμμένον δράμασιν.''

Etiam cum mortuorum poetarum fabulae, ut fiebat, a filiis vel aliis eorum consanguineis docerentur, non poetarum, sed eorum, a quibus in scenam commissae

---

χαρίζεσθαι τῷ ὄχλῳ τῶν θεατῶν'': licet conjunctum legatur cum ἡ τῶν διθυράμβων ποίησις.''

1) Vid. p. 24 v. 16 Dindorf.

essent fabulae, nomina inscribi solebant. Iophon e. g. post Sophoclis patris mortem complures ejus docuisse fabulas traditur, de qua re ita scriptum est in scholio ad Aristophanis Ranas, vs. 78: »οὐ μόνον ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται, ἀλλ' ἐπὶ τῷ καὶ ψυχρὸς καὶ μαλακὸς εἶναι." Accedunt multe grammaticorum de nonnullarum fabularum auctoribus discrepantiae, quarum nulla excogitari potest causa, nisi haec, quod non poetarum nomina, sed chori magistrorum in didascaliis ferebantur.

In publicis quoque choragicis victoriae dramaticae monumentis solius chori magistri occurrere nomen, infra videbimus.

E nonnullis denique comicorum locis apparet, poetam, nisi didascalus esset, nullo victoriae honore fructum esse. In vita Aristophanis, p. XXXV aliisque locis[1]) narrantur comici Aristophani irridentes dixisse, eum τετράδι γεγονέναι, quippe qui comoedias aliis docendas tradiderit: nam »τετράδι γεγονέναι" est »παροιμία ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων." [2]).

1) Vid. Commentatio ad Plat. Apol. p. 19 (p. 33 Bekk.), Zenob. VI, 7, Suidas et Photius v. Τετράδι γεγονώς.

2) Cf. etiam quae monuit vir Clar. Cobet ad proverbium: »'Αρκάδας μιμεῖσθαι" in Observ. critt. in Platonis comici reliquias, p. 102 sqq.

Inde concludimus, Aristophanem poetam, didascali munus non suscipientem, nullorum participem honorum fuisse atque hanc ob causam comicorum jocis fuisse obnoxium.

Neque ullo modo est mirum solius chori magistri nomen in publico documento esse receptum neque ullam poetae rationem esse habitam. Quaecunque enim perficienda erant, dum fabula in scenam committeretur, non poeta, sed didascalus curabat.

Ex omnibus hisce efficere licet, solum didascalum cum magistratibus egisse; hunc, non poetam apud archontem nomen professum esse chorumque petiisse.

Si praeterea opus est argumentis ad hanc meam de didascali in scenica commissione partibus sententiam magis etiam confirmandam, summi viri quoque auctoritate nititur, clarissimi C. O. Muelleri, qui disertis eadem docet verbis, quae hoc loco inserere lubet: „Immer galt das Einüben des Stücks als die Hauptsache, als der öffentliche und officielle Theil des Geschäfts: wer ein vorher nicht aufgeführtes Stück dadurch auf die Bühne brachte, bekam die dafür vom Staate ausgesetzten Belohnungen, und, wenn er im Wettstreite siegte, den Preis; wer das Stück eigent-

lich in einsamer Müsze gedichtet, konnte an sich im öffentlichen Leben nicht in Betracht kommen." [1]).

Si haec verba, quod mihi omni dubio majus videtur, veram rei naturam atque rationem referunt, dubitari non potest, quin ea quoque, quae de didascalo nomen profitente et chorum petente statuimus, revera ita se habuerint [2]).

Haec quum constent, non tamen supervacaneum videtur iterum monere, iis locis, ubi sive veteres, sive recentiores de fabularum in scenam inductione loquentes poetae mentionem faciunt, semper fere intelligendum esse didascalum, quippe cui soli in fabulis instituendis atque agendis suum munus fuerit.

Quaestio tamen oritur, quis fuerit didascalus ille? Utrum idem fuerit ac chori magister an alio quodam in docenda fabula munere functus sit? Uno Boeckhio excepto, nemo, ni fallor, hac de re dubitavit: statuunt

---

1) Vid. C. O. Müller, Gesch. d. griech. Litt. II, p. 79.

2) Iisdem fere ac Muellerus verbis Geppertus (Die altgriech. Bühne, p. 280, 2): „Ob dieser (der Didaskalos) nun ausserdem auch noch Dichter war, konnte wenigstens vor der Behörde nicht in Betracht kommen, da man den Didaskalos des Stückes bekränzte und nicht den ποιητής." Copiose hac de re agit Wolfgangus Helbig in commentatione, cui titulus est: „Quaestiones scenicae" (Bonnae, Henry et Cohen, 1861), ex qua commentatione nonnulla desumpsi.

omnes, didascalum eundem ac chori magistrum fuisse. Boeckhius contra a vulgari discedens sententia, poetam vulgo didascalum fuisse contendit, cujus didascali munus fuerit histriones instituere et docere; ab hoc vero proprie ita dicto didascalo distinguendum esse chorodidascalum, inferioris conditionis hominem a chorago mercede conductum, ut chorum suum institueret [1]).

Haec Boeckhii sententia quum cohaereat cum ipsius opinione universa de fabulae docendae ratione, ex qua chorum ab ipsa fabula prorsus sejungit, fabulae instructionem externam civitati, chori chorago tribuens, fabulae institutionem poetae, chori chorodidascalo; quumque haec sententia, cui assentiri nequaquam possumus, summi viri commendetur auctoritate, operae pretium erit funditus eam evertere.

De ea sententiae parte, quae ad externam pertinet et fabulae et chori instructionem, infra videbimus.

---

1) Ipsa Boeckhii verba (quae reperiuntur in opere saepius jam citato: Athen. Staatsh. p. 487, 1e edit.) ita se habent: „Der Dichter lehrte die Schauspieler unabhängig vom Choragen ein; ganz anders aber verhielt es sich mit der Einlehrung des Chors — den Chor muszte der Chorege durch einen Lehrer (χοροδιδάσκαλος) unterrichten lassen und diesen dafür bezahlen."

Hic de poetae et chorodidascali muneribus, secundum illum disjunctis, videamus. Quaenam, ut suam probet sententiam, argumenta Boeckhius affert? Nulla, credo, nisi quis argumenti vim ducat inesse iis, quae huic opinioni commendandae praemittit, chorago (et, quod secundum eum ultro inde sequitur, chorodidascalo) cum histrionibus nihil commune fuisse, quia ab archonte non chorago, sed poetae sorte tribuerentur [1]). Hoc vero ipsum, histriones non chorago, sed poetae sorte esse tributos, gravissimis dubiis obnoxium mihi videtur. Unde enim id efficit Boeckhius? E grammaticorum loco uno omnium maxime confuso atque obscuro [2]): *οἱ ποιηταὶ ἐλάμβανον τρεῖς ὑποκριτὰς κλήρῳ νεμηθέντας ὑποκρινομένους* (l. *ὑποκρινουμένους*) *τὰ δράματα· ὧν ὁ νικήσας εἰς τοὐπιὸν ἄκριτος παρελαμβάνετο· ἔστιν οὖν οἷον διαιρέσεις*" [3]). Etiamsi vero ad loci

---

1) Vid. Boeckh. l. l.: „Wären die Schauspieler vom Choragen besorgt worden, so würde der Staat dieselben dem Choragen zugetheilt haben, aber sie wurden nicht den Choragen, sondern den Dichtern zugeloost: folglich hat der Chorag mit ihnen nichts zu schaffen."

2) Vidd. Hesychius, Suidas et Photius, p. 293, 24, v. „*νεμήσεις ὑποκριτῶν.*"

3) Haec verba Boeckhius ita vertit: „Jeder Dichter erhielt durchs Loos drei Schauspieler: der den Sieg davon getragen hatte, wurde fürs nächste Mal ohne neue Beurtheilung zugenommen." Sed quid sibi volunt verba: „histrio, qui victoriam reportasset"? Nusquam enim repe-

obscuritatem non attendamus, tamen nullam fere Boeckhii sententiam probandi vim habere videtur. Poetae enim, ut supra vidimus, in commissione scenica nullae erant partes, nisi didascalus esset. Si igitur grammatici poetae histriones tributos esse dicunt, hoc ad didascalum tantum spectare potest. Nonne vero, etiamsi chorago essent tributi, dicere licet, quod eodem redit, eos didascalo traditos esse? Desideratur igitur id, quod Boeckhius voluit, argumentum quo probet, histriones non chorago sorte esse tributos, itaque cum chorago iis nihil fuisse commune.

---

rimus, histriones quoque inter se certasse. Ut hanc difficultatem vitaret, Schneiderus (l. l. p. 130), vocem ὁ νικήσας ad poetam referens, ita vertit: von welchen Schauspielern der Dichter, welcher einmal gesiegt hatte, für die Zukunft, ohne sich dem Loose unterwerfen zu müssen, sich welche zu wählen pflegte." Sed talis versio verborum sensui prorsus adversatur; dubitari enim non potest, quin pron. relat. ὧν ad ὑποκριτάς, non ad ποιητάς referendum sit, et παρελαμβάνετο sit passivum, non medium objecto suo carens; ἄκριτος denique his verbis vertere: „ohne sich dem Loose unterwerfen zu müssen" nimiae audaciae videtur; melius Boeckhius: „ohne neue Beurtheilung". Quid tamen sibi vult examinis mentio, quum in praecedentibus de nullo examine sermo sit? Neutra igitur harum explicationum satisfacere nobis potest nec loci obscuritatem tollere.

Aliam de eo explicationem, quam hic referre spatium vetat, affert Geppertus, l. l. p. 207, qui alios aliorum quoque opiniones citat: Hemsterhus. ad Lucian. Tim. 51, T. I, p. 160; Böttigeri, Opusc. p. 290, Grysar de trag. p. 25, aliorum.

Alterum suae sententiae argumentum affert Boeckhius, quod saepe factum sit, unum alterumve poetam histriones habuisse, qui sibi semper servirent[1]), ut Aeschyli e. g. memorantur histriones Cleandrus et Myniscus, ita quoque Sophoclis, Euripidis, ceterorum. Sed nonne hoc locum habuisse potest, etiamsi choragis vulgo tribuerentur? Cuique profecto chorago gratum accidebat, si ultro optimi ei contingebant histriones, quum alioquin res ex incerta penderet sortis fortuna.

Restat, ut inquiramus, an inter didascalum et chorodidascalum ita distinguere, ut Boeckhius facit, per veterum locos liceat.

Varia hac in re a veteribus usurpantur nomina. Modo enim reperimus simplex vocabulum διδάσκαλος, modo τραγῳδοδιδάσκαλος et κωμῳδοδιδάσκαλος usurpantur, alibi occurrit χοροδιδάσκαλος. Nusquam autem inter varia haec nomina aliquod obtinuisse discrimen animadvertimus, neque Boeckhius hujus rei exempla affert. Contrarium e nonnullis Aristophanis locis effici posse puto, e quibus affero Pacis parabasin, ubi chorus de poeta loquens, his utitur verbis[2]):

1) Vid. Boeckhius, l. l.
2) Vid. Aristoph. Pax, vs. 737, sqq.

»εἰ δ' οὖν εἰκός τινα τιμῆσαι, θύγατερ Διὸς, ὅστις ἄριστος
κωμῳδοδιδάσκαλος ἀνθρώπων καὶ κλεινότατος γεγένηται,
ἄξιος εἶναι φησ' εὐλογίας μεγάλης ὁ διδάσκαλος ἡμῶν."

Ὁ διδάσκαλος ἡμῶν, i. e. choreutarum, quis alius est nisi chorodidascalus, qui tamen in praecedenti versu κωμῳδοδιδάσκαλος vocatus est?

Idem ex aliis quoque comici locis apparet[1]. Unde concludere posse nobis videmur, didascalum, s. tragoedo-, s. comoedo-didascalum et chorodidascalum eundem fuisse hominem[2].

Negari tamen vix potest fieri potuisse, ut poeta solos histriones docere voluerit, choreutarum institutione alii cuidam, a chorago in hanc rem conducto, commissa. Talem vero virum non διδάσκαλον appellatum, sed significatum esse nomine ὑποδιδασκάλου[3], de

---

1) Vidd. Equitum ac Vesparum parabases. Ad significationem vocis „κωμῳδοδιδασκαλίαν" in Eqq. parab. cf. quoque Helbig. l. l. p. 21.

2) Non aliter Bergkius ap. Meinek. F. Com. II, p. 926. qui probans Callistratum et Philonidem non fuisse histriones, sed poetas: „— de histrione qui — non chorum docet, quod est poetae officium; itaque modo διδάσκαλος sive χοροδιδάσκαλος sive κωμῳδοδιδάσκαλος, modo ποιητής sive κωμῳδοποιητής (immo κωμῳδοποιὸς) appellatur poeta", cett.

3) Vid. Photius, p. 627, 10: „ὑποδιδάσκαλος ὁ τῷ χορῷ καταλέγων· διδάσκαλος γὰρ αὐτὸς ὁ ποιητής, ὡς Ἀριστοφάνης. Cff. Hesychius v. ὑποδιδάσκαλος, Pollux IV, 106, Demosth. Mid. 7, p. 520; quos citat Schneider. l. l. p. 113 (137).

quo interdum mentionem fieri videmus, magnam me judice habet veri speciem, neque opus est addere, didascalum universae dramatis institutionis nihilominus principes habuisse partes.

Serioribus demum temporibus mos obtinuit, ut poetae non amplius ipsi fabulas docerent: choragis tunc conducendi erant chori magistri, viri omnium illorum gnari, quibus opus esset ad chorum histrionesque docendos, et qui hanc artem profiterentur. Talis chori magister intelligendus est, quum Demosthenes mentionem facit de Sannione quodam: „ὁ τοὺς τραγικοὺς χοροὺς ἐκδιδάσκων, (ὃν) ἐμισθώσατό τις φιλονεικῶν (l. φιλονικῶν) χορηγὸς τραγῳδῶν." [1]).

Nec Boeckhius neque alius quisquam dubitare videtur, quin hujus chorodidascali fuerit quoque histriones docere. Ex Boeckhii vero sententia sequeretur, ut, si poeta magistri munus suscipere voluisset, praeter chori magistrum chorago histrionum quoque magister conducendus fuisset, qui poetae munus, διδασκαλίαν, susciperet. Nullus tamen veterum locus suppetit, quo usus tale quid statuas. Etiamsi igitur poeta non semper

1) Vid. Demosth. in orat. Mid. p. 533.

fuerit chori magister, Boeckhio tamen nullum jus esse contendimus, inter poetam et chori magistrum ita distinguendi, ut illum solorum histrionum fuisse praeceptorem perhibeat, choragi auctoritate prorsus liberum, hunc choreutarum tantum praeceptorem, chorago subditum, atque ab eo mercede conductum.

Poetam contra, si fabulae docendae munus susciperet, chorodidascalum factum esse putamus, pro quo chorodidascali nomine vocabula didascalum, tragoedodidascalum, comoedodidascalum saepius usurpata esse vidimus; sin vero minus, nullas ei in scenica commissione fuisse partes.

CAPUT II.

DE CHORAGI IN SCENICO CERTAMINE PARTIBUS.

Confecta disputatione de vera vocabuli *poetae*, uti saepe in certaminum scenicorum mentione occurrit, potestate, propius accessisse nobis videmur solvendae quaestioni, cui respondere nobis proposuimus, utrum commissio scenica certamen fuerit tribuum Atheniensium an potius poetarum.

Jam opus erit in fines, quibus circumscripta fuerit choragi auctoritas, accuratius inquirere, ejusque in scenico certamine penitus perspicere partes, ut quaestionem tandem absolvamus.

Quem finem quo facilius adsequamur, duabus hisce quaestionibus deinceps erit respondendum:

1°. utrum choragi cura atque auctoritas ad chorum

tantum, an ad universam fabulae commissionem pertinuerit?

2°. utrum choragus is fuerit, qui in certamine victor censeretur, an, quod vulgo statuunt, poeta vel chori praeceptor?

QUAESTIO PRIOR.

UTRUM CHORAGI CURA ATQUE AUCTORITAS AD CHORUM TANTUM, AN AD UNIVERSAM FABULAE COMMISSIONEM PERTINUERINT?

Ex iis, quae in priore hujus disquisitionis parte de choragia attulimus, apparuit, omnium quae ad chori institutionem atque adornationem pertinerent, chorago curam mandatam esse, inque iis summam choragi fuisse auctoritatem. Superest ut quaeramus, an vim quoque habuerit choragus in ea quae praeter chorum ad fabulam docendam pertineant, ad histriones, ad scenamornandam, ad omnem denique scenicam commissionem?

Quum apud veteres nullum, qui rem conficiat, re-

periamus locum, huic quaestioni a recentioribus variis modis responsum est. Boeckhius nos docet, Salmasium jam putasse, choragum totius ludi sumptus fecisse, Heraldum vero eum redarguere conatum esse. F. A. Wolfius inde, quod (quae res e dramatis origine facile explicatur) nullum fuerit funditus discrimen chorum inter et fabulam, concludit, eum qui choro praeesset toti simul ludo praefuisse, his verbis [1]: „Nihil enim dubitandum, quin ejusdem, qui choris scenicis sumtus suggereret, commissio totius ludi esset. Nam omnino chorum, tamquam fabulae primariam partem et eam, unde antiquitus omnis ratio scenae effloruit, ita Graeci usurpare consueverunt, ut verbi vis ad universam fabulam spectet" [2]. Boeckhius vero contrariae favet sententiae: secundum eum chori tantum sumptus faciebat choragus, nullamque nisi eorum quae ad chorum spectarent, curam habebat; nullae ei partes erant in ceteris omnibus, quae ad ipsam

1) Vid. Wolfii Prolegg. ad Demosth. or. adv. Leptinem, p. xci.

2) Ex his Wolfii verbis argumentum depromere possumus pro nostra sententia, ex qua chorodidascalus totam fabulam docebat. Antiquitus enim soli chori exstabant; quos qui docerent, chorodidascali vocabantur. Hoc nomen mansit, quum, postquam drama e choris effloruerat, chori magistri totius dramatis magistri evasissent.

fabulam agendam pertinerent, neque in scena ornanda, neque in histrionibus docendis.

In hanc Boeckhii sententiam, quam plures secuti sunt, accuratius inquirentes, primum agamus de sumptibus, de quibus sic Boeckhius: „Der Chorage hat die Sorge für den Chor: — wogegen es ganz unerweislich ist, dass bei Schauspielen der Chorag den Aufwand des gesammten Spieles hätte bestreiten müssen. — Der Staat selbst leistete unmittelbar vieles für das Schauspiel, wie mehre Stellen der Alten beweisen, und manches hatte der Theaterpachter zu stellen, wofür ihm das Eintrittgeld zufiel" [1].

Civitatem igitur et theatri redemptorem (θεατρώνην) ipsius fabulae in scenam inducendae sumptus fecisse, Boeckhius putat.

Quod ad theatri redemptorem attinet, nullo veterum loco aliud quid de eo refertur, nisi aedificii curam ei fuisse mandatam; ludorum vero sumptus eum ne partim quidem solvisse usquam legimus. Cum Gep-

1) Vid. Boeckh., l. l. p. 784, 1*a*. ed.; in 2*a*. operis editione scriptor nonnulla mutavit in nostram sententiam, quas emendationes infra referam. Hic pristinam eius sententiam redarguere constitui.

perto [1]) existimo, si omnis scenae ornatus adeo varii variarum fabularum, quae Dionysiis in scenam inducerentur, sumptus facere debuisset, eum redemptionis pretio solvendo imparem fuisse futurum.

Civitati igitur omnes ludi, praeterquam chororum, sumptus suscipiendi fuissent, quod compluribus veterum locis probari Boeckhius contendit. Hos vero locos citare, operae pretium non duxisse videtur. Difficile autem conjectura assequi quos in mente habuerit.

Fortasse eo pertinere ei videntur illi oratorum loci, ubi de ingentibus queruntur sumptibus in deorum festa impensis, quasi de vera calamitate [2]). Qui tamen loci id, quod Boeckhius vult, probare non possunt, ipsam rempublicam ex aerario hos sumptus praestitisse; si enim, quod mihi saltem veri multo similius videtur, liturgiarum abusum spectant, hisce querelis nihilominus locus erat.

Nec mihi tamen probabile videtur chorago, nullis ex aerario subsidiis acceptis, omnia praestanda fuisse,

---

1) Vid. Geppert, l. l. p. 205, 5. De architecto s. θεατρώνη s. θεατροπώλη cf. Schneider, l. l. p. 248, (196), quocum ego puto, scenae machinarum atque ornatus sumptus aerarium fecisse.

2) Cff. Schneid., l. l. p. 122 (148), eaque quae supra (p. 32, sqq.) attulimus.

quae ad scenicum ludum instruendum pertinerent. Tametsi non desunt veterum loci, unde apparet, choragum praeter ea quae chorum spectarent, aliarum etiam rerum curam habuisse.

Ita apud Aristotelem, ubi de scenae decoratione loquitur [1]), legimus: »καὶ κωμῳδοῖς χορηγῶν ἐν τῇ παρόδῳ πορφύραν εἰσφέρων, ὥσπερ οἱ Μεγαρεῖς, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα ποιήσει, οὐ τοῦ καλοῦ ἕνεκα, ἀλλὰ τὸν πλοῦτον ἐπιδεικνύμενος", ad quem locum Aspasius annotat: »καὶ κωμῳδῶν χορηγοῖς σύνηθες ἦν ἐν κωμῳδίᾳ παραπετάσματα δέρρεις ποιεῖν, οὐ πορφυρίδας." Hinc manifeste sequitur, scenam aulaeis ornare choragi fuisse, quod ad chori habitum pertinuisse, nemo contendet.

In Aristophanis Pace, vs. 1023, ubi sacrificium impeditur, legimus:

»οὕτω τὸ πρόβατον τῷ χορηγῷ σώζεται"

unde apparet, ovem mactandam, quae saltem res ad chorum non pertinebat, a chorago dari debuisse. Item in Avibus vs. 890, in sacrificio Pithetaerus sacerdotem his verbis alloquitur:

»Ἐπὶ ποῖον, ὦ κακόδαιμον, ἱερεῖον καλεῖς

1) Vid. Aristot. Eth. Nicom. IV, 6.

ἀλαιέτους καὶ γῦπας; οὐχ ὁρᾷς, ὅτι
ἴκτινος εἷς ἂν τουτό γ' οἴχοιθ' ἁρπάσας;"

ubi scholiasta haec annotat: »τοῦτο εἰς διαβολὴν τοῦ χορηγοῦ, ὅτι μικρὸν ἔδωκεν ἱερεῖον."

Aliquando choragus histrionum quoque vestitum curasse videtur, cujus rei in comoediis Plauti, quem, Graeca exempla imitatum, Graecos mores in scena Romana expressisse, omnibus notum est, mentionem saepius factam reperimus, e. g. in Trinummo IV, 2, 16: "Ipse ornamenta a chorago haec sumpsit suo periculo." Pers. I, 3, 79: »Πόθεν ornamenta? Abs chorago sumito. Dare debet" etc. Multi praeterea addi possunt loci, e quibus apparet, vocem χορηγίαν totius fabulae instructionem significare [1]).

Ex allatis concludimus, choragum, si non totius ludi sumptus suppeditarit, non tamen unice chori habitum externum aere suo procurasse. Fieri nempe potuit, ut respublica choragi sumptus sublevarit. Non aliter ac trierarchum in nave sua armanda ex aerario publico subsidia accepisse constat, ita choragus quoque in scenae

1) Vid. Plutarch. Demosth. c. 29; Arrian. Exped. Alex. VII, 14; Plutarch. Alex. c. 29, Plauti Capt. prol. v. 81; Aristot. Poet. c. XIV, 3; Cf. Geppert, l. l. p. 203.

ornandae histrionumque magnifice vestiendorum sumptibus, a civitate subsidia accepisse credendus est. Ubi igitur in secunda Midianae hypothesi legimus, »ἐλάμβανε εἰς τοῦτο χρήματα", haec traditio parum verisimilis, ubi spectat ea, quae praecedunt verba: »εἰς τὸ τρέφειν τὸν χορόν; sed veri quandam accipit speciem, si eam ad totius fabulae docendae sumptus referimus. Multa tamen in hoc argumento in tenebris versari, confiteor. Licet enim rejicienda videatur Boeckhii sententia, ex qua choragus unius chori sumptus faciebat, tamen quaerentibus, quaenam praeterea ipsi praestanda fuerint, quaenam civitati, in plerisque candide fatendum non liquere [1]).

Etiamsi vero choragus omnes commissionis sumptus non fecerit, atque ad hanc rem subsidia acceperit ex aerario publico, fieri nihilominus potuit, ut ei totius ludi moderamen fuerit mandatum. Hoc quoque negat Boeckhius. Supra jam vidimus, ex ejus sententia poe-

---

1) Ipse Boeckhius in 2*a* editione operis sententiam quodammodo mutavit, ut supra verbo jam monui. Ibi enim post verba supra allata haec addit: „wieviel jedoch der Chorage *ausser dem Chor* zu leisten hatte, ist mir unklar" (Vid. 2e ed. p. 600). Quibus congruit, quod quae paullo infra sequuntur verba: „folglich hat der Chorage mit ihnen (nl. den Schauspielern) nichts zu schaffen," in 2*a* ed. omissa sunt.

tam, histrionum magistrum, choragi auctoritate prorsus liberum, chori tantum magistrum huic subditum fuisse. Quum vero hanc inter histrionum et chori magistrum distinctionem verae rei scenicae rationi nequaquam consentaneam esse probaverimus, sed didascalum et chorodidascalum eundem fuisse hominem, histrionum simul et choreutarum doctorem: inde sponte sequitur, fieri non potuisse, quin poeta choragi auctoritate liber non esset. Si enim didascalus esset poeta, chorago erat subditus, si non esset, nullas ei in certamine fuisse partes vidimus.

Ut histrionum magistro, ita quoque histrionibus cum chorago nihil fuisse commune putat Boeckhius, loco illo fretus, qui docet histriones poetis sorte tributos esse [1]. Hunc autem lexicographorum locum valde obscurum nullam ejus sententiae probandae vim habere, ostendimus [2], neque in dubium vocari posse censemus, quin, ut didascalus, ita histriones chorago fuerint subditi, praesertim quum vestitus atque ornatus eorum chorago quoque curam mandatam fuisse, verisimillimum esse cognoverimus.

---

1) Vid. Boeckh., l. l. p. 487.

2) Vid. hujus commentat. p. 59.

Unum tamen huic meae sententiae adversari videtur, quod Boeckhius quidem non affert, cujus vero ab aliis mentio fieri solet.

Verba enim, quae apud Pollucem (IV, 110) leguntur: »εἰ δὲ τέταρτος ὑποκριτής τι παραφθέγξαιτο, τοῦτο παραχορήγημα ἐκαλεῖτο," secundum nonnullos id probant, choragum tres histriones ordinarios non praebuisse, si vero quarto opus esset histrione, hunc dare debuisse extra ordinem, unde nomen: παραχορήγημα. Fateor, me hujus conclusionis necessitatem non perspicere. Quum enim choragus tres ordinarios histriones praestaret eosque exercendos curaret, eadem ratione qua choreutas, nonne, si quartum histrionem extra ordinem sistere deberet, hoc optime vocari posset παραχορήγημα? Talis igitur ratiocinatio ad meam, ni fallor, potius quam ad contrariam adhiberi potest sententiam. Etiam quae sequuntur Pollucis l. l. verba, pro mea militant sententia; nempe addit: »ὅποτε μὲν ἀντὶ τετάρτου ὑποκριτοῦ δέοι τινὰ τῶν χορευτῶν εἰπεῖν ἐν ᾠδῇ, παρασκήνιον καλεῖται τὸ πρᾶγμα." Quid enim inde sequitur? Penes choragum fuisse decernere, utrum quartus accederet histrio, an unus choreutarum in parvi momenti partibus in scenam prodiret.

Dubitari igitur vix potest, quin choragi auctoritas etiam ad ipsam fabulam agendam pertineret, qua re concidit Boeckhii sententia, ei cum histrionum exercitatione nihil commune fuisse. Verum tamen, hisce jam missis, ipsam aggrediamur quaestionis summam.

Nam necesse est, Boeckhium statuentem, choragum curasse ea quae ad chorum pertinerent, civitatem vero ea quae pertinerent ad ipsam fabulam, histriones a poeta, choreutas vero a chori magistro institutos ac doctos esse, eo duci, ut chorum et fabulam plane a se invicem sejuncta fuisse accipiat. Nonne vero talis opinio prorsus ab ipsa rei natura aliena? Ex nostra quidem sententia et dramatis naturae, qualis ex origine facta est, et sanae rationi adversatur.

E choro drama effloruit, chorus et dialogus totum continuum efficiunt: chorus dialogi particeps nonnumquam fit, histriones lyricis interdum utuntur modis. Dramatis igitur naturae adversari videtur, partes dialogicas et lyricas illa ratione divellere.

Deinde quomodo Boeckhius sibi finxerit, rem se habuisse, si ipsius conjectura vera esset, non facile aliquis assequatur. Utrum e. g. existimavit poetam

docuisse quaecunque histriones agerent, chorodidascalum contra quaecumque chorus caneret, an potius poetam docuisse partem fabulae, quae in dialogo versetur, chorodascalum partem lyricam? Neutrum horum verisimile cuiquam videbitur. Fieri enim nullo modo potest, ut, quae in ipso dramate tam arcte conjungebantur, pro arbitrio sejuncta sint in docendis ludionibus et choreutis. Omnia haec plane absona atque absurda videntur.

Unde vero factum est, ut summus vir talia excogitarit? Quaenam tandem est causa, cur tantam impendat operam, ut probet, poetam histrionum praeceptorem distinguendum esse a chori magistro?

Facilis ea res videtur explicatu: nempe penes poetam commissionis scenicae summam fuisse existimat. Quum vero non ignoret, chori magistrum choragi auctoritati fuisse subjectum, neque in commissionis praeparatione neque in victoria primas tenuisse partes, necesse erat ei statuere, poetam certaminis caput alio functum esse munere ac chori illum magistrum, quod munus non fuisse aliud, nisi histrionum praeceptoris, qui choragi auctoritati quippe quae ad chorum tantum pertineret, non fuerit obnoxius.

Rejecta vero hac Boeckhii sententia, ex qua choragi auctoritas ad chorum tantum pertinuit, jam videamus, an revera poeta princeps certaminis persona censendus sit. Ultro sic ducimur ad respondendum alteri, quam posuimus quaestionem.

QUAESTIO ALTERA.

UTRUM CHORAGUS AN POETA IN CERTAMINE FUERIT VICTOR?

Supra vidimus, vulgarem virorum doctorum opinionem ita se habere, ut scenicam commissionem poetarum fuisse certamen statuant; cujus certamen inter tribus Atticas non nisi additamentum quoddam esse habendum. Scholiastarum citavi locos, quibus nitentes ad hanc adducti sunt sententiam.

His vero seriorum traditionibus adversari mihi videntur ipsorum veterum loci, quos in comoediis quibusdam atque orationibus reperimus. Missa in praetentia quaestione, quomodo fieri potuerit, ut scholias-

tae falsam de scenici certaminis natura nacti sint opinionem, hic statuendum, si eorum effata cum ipsorum veterum pugnent testimoniis, nullam illis habendam esse fidem. Pauca tantum esse de hac re veterum testimonia, mirum non est, quum in aequalium sane usum opus iis non fuerit rem copiosius explicare, neque, quemadmodum scholiastae, scripserint, ut posteros de rebus scenicis facerent certiores. In choragorum autem litibus inque comoediarum parabasibus horum tangendorum opportunitas nonnumquam offerebatur. Comici igitur atque oratores adeundi sunt.

In uno, quem supra jam citavimus, Aristophanis loco, indicavi, comici verba, quae primo aspectu pro vulgari de scenico certamine opinione militare videntur, vix proprio sensu intelligenda esse [1]. Nihil enim dubitandum, quin per metaphoram licuerit poetae dicere, se vicisse, si sua cum fabula chorus vicisset.

Exstant autem luculenta ac perspicua veterum testimonia, e quibus apparet, commissiones scenicas habenda esse certamina tribuum Atheniensium, quarum quaeque chorum stitisset et choragum creavisset; poetas

1) Locus, ad quem specto, est Aristoph. Nub. vs. 520, quem citavi hujus comment., p. 45.

vero tantummodo dici posse victores, quatenus ipsi fabulas suas docuerint, i. e. quatenus τῇ διδασκαλίᾳ se poetas esse publice profiterentur. Manifesto e. g. sententia, non ipsum poetam, sed chorum reportasse victoriam, cui quidem choro praestantia sua victoriam dederit poeta, exstat in Equitum parabasi vs. 521, ubi chorus de Magnete poeta dicit:

»ὃς πλεῖστα χορῶν τῶν ἀντιπάλων νίκης ἔστησε τροπαῖα."

Magnetem igitur dicit suis choris saepe reportasse victoriam de choris adversariorum. Quae docent, de scenico quoque certamine valere idem, quod in tibicinum chororum certamine obtinuisse apparet e Demosthenis Midiana, brabeutas de chori solius meritis, aut saltem inprimis de choro judicasse.

Facile omnino esset, ex iis, qui de chorago litibus scripserunt, oratoribus tot afferre locos, qui probarent tribuum certamina atque victorias, quot scholiastarum de poetarum certaminibus victoriisque effata supra laudavimus. Nullam tamen earum, quae supersunt, orationem de dramatica agere choragia, adversa fortuna voluit, quam solam hic spectamus choragiam, omnes vero de auletica, lyrica, ceteris. Opus igitur erit e comicorum locis quaerere, quod faciat ad rem nostram.

Vix autem disertius dici potuit, chori fuisse victoriam et praemiorum arbitros de chori meritis judicasse, quam in choro Ecclesiazusarum, vs. 1154 sqq.:

»σμικρὸν δ' ὑποθέσθαι τοῖς κριταῖσι βούλομαι
τοῖς σοφοῖς μὲν τῶν σοφῶν μεμνημένοις κρίνειν ἐμέ,
τοῖς γελῶσι δ'ἡδέως διὰ τὸ γελᾶν κρίνειν ἐμέ,
σχεδὸν ἅπαντας οὖν κελεύω δηλαδὴ κρίνειν ἐμέ,
μηδὲ τὸν κλῆρον γενέσθαι μηδὲν ἡμῖν αἴτιον [1]),
ὅτι προείληχ'· ἀλλ' ἅπαντας ταῦτα χρὴ μεμνημένους
μὴ 'πιορκεῖν, ἀλλὰ κρίνειν τοὺς χοροὺς ὀρθῶς ἀεί.
μηδὲ ταῖς κακαῖς ἑταίραις τὸν τρόπον προσεικέναι,
αἳ μόνον μνήμην ἔχουσι τῶν τελευταίων ἀεί",

aut ubi in Ranarum comoedia mystarum chorus Cererem precatur, ut sibi victoriam det, vs. 391, sqq.:

»καὶ
τῆς σῆς ἑορτῆς ἀξίως
παίσαντα καὶ σκώψαντα νι-
κήσαντα ταινιοῦσθαι",

aut ubi in Equitibus (vs. 581, sqq.) Νίκη vocatur

1) Ex his verbis apparet, choros ante certamen sortitos esse, quo ordine in orchestram prodirent, qui primus, qui deinde, cet. Cujus sortitionis exitus quum facile vim habere posset in judicium, h. l. chorus orat, ne tale quid fiat.

χορικῶν ἑταίρα in hac Palladis invocatione, quam partim affero:

vs. 581: »*ὦ πολιοῦχε Παλλάς, ὦ*" *κ. τ. λ.*

vs. 586: »*δεῦρ' ἀφικοῦ λαβοῦσα τὴν*
ἐν στρατιαῖς τε καὶ μάχαις
ἡμετέραν ξυνεργὸν
Νίκην, ἣ χορικῶν ἐστιν ἑταίρα
τοῖς τ' ἐχθροῖσι μεθ' ἡμῶν στασιάζει.
νῦν οὖν δεῦρο φάνηθι· δεῖ
γὰρ τοῖς ἀνδράσι τοῖσδε πά-
σῃ τέχνῃ πορίσαι σε νί-
κην εἴπερ ποτὲ καὶ νῦν."

aut hoc Avium loco, vs. 445 sqq.:

»*Χορός. ὄμνυμ' ἐπὶ τούτοις, πᾶσι νικᾶν τοῖς κριταῖς*
καὶ τοῖς θεαταῖς πᾶσιν.
Πειθέτ. *ἔσται ταυταγί.*
Χορός. εἰ δὲ παραβαίην, ἑνὶ κριτῇ νικᾶν μόνον."

e quibus verbis simul elucet, quantam vim chori actiones haberent in judicium atque victoriam; quum contra e Luciani loco pateat, histriones explodi potuisse, quamvis dramata saepe vincerent[1]). — Hic sub-

1) Vid. Lucian. Nigrin. c. 8. p. 47: „*ἀλλ' ἐκεῖνο τραγικοὺς ἢ νὴ Δία κωμικοὺς φαύλους ἑόρακας ὑποκριτάς, τῶν συριττομένων λέγω*

sistimus, licet multi loci adhuc afferri possint ad confirmandam nostram sententiam. Potius nos convertamus ad publica victoriae monumenta, praesertim quum peculiaris de hisce Boeckhii opinio, meae contraria, effectura sit, ut satis copiose de iis agamus.

Vidimus choragum, victoria reportata, tripodem, victoriae praemium, sollemni ritu Baccho consecrasse, sive in ipso Bacchi templo sive in sacra tripodum via in pulcherrime elaborata collocatum basi, in qua, insculpta inscriptione, victoria aeternae mandaretur memoriae [1]. Quarum inscriptionum nonnullae nobis servatae a Boeckhio collectae atque in corpore Inscriptionum publici juris factae sunt [2].

Quod vero in orationibus, quae de choragia aliquanto copiosius agunt, obtinere animadvertimus, eas de lyrica vel auletica, non vero de dramatica agere choragia, aeque adversa in inscriptionibus hisce utimur fortuna,

---

τούτων καὶ διαφθειρόντων τὰ ποιήματα καὶ τὸ τελευταῖον ἐκβαλλομένων, καίτοι τῶν δραμάτων πολλάκις εὖ ἐχόντων καὶ νενικηκότων."

1) Julius Richter in Proleg. ad Vespas putat tabulas lapideas inscriptionibus instructas parciorum choragorum solum fuisse victoriae monumentum, ubi dicit, p. 9: „Jam vero hoc apparet, choragos certaminum musicorum, gymnicorum, et tripodibus usos esse ad victoriam celebrandam, et tabulis lapideis, quando parciores vellent esse."

2) Vid. Boeckh., Corpus Inscriptionum Graecarum, I, p. 341, sqq. sub Agonisticorum titulo.

quarum nullae tragoedorum s. comoedorum victoriae mentionem faciunt, pleraeque in lyricis sive virorum sive puerorum versantur choris, unde fit, ut multis obnoxium maneat argumentum nostrum dubitationibus.

Magno nihilominus nobis debet esse solatio, has saltem inscriptiones esse servatas, quippe quae multa nos doceant de choragia, praesertim quod ad eam quaestionem attinet quam nunc tractamus, de natura scenici certaminis. Quae ut cognoscamus, unam alteramve inscriptionum a Boeckhio editarum accuratius perpendamus.

Earum multae partim deletae sunt; integra vero est, quam l. l. p. 347, N°. 222, reperimus, chori lyrici celebrantem victoriam. Sic se habet:

Αἰγηΐς ἀνδρῶν ἐνίκα.
Εὐαγίδης Κτησίου Φιλαΐδης ἐχορήγει.
Λυσιμαχίδης Ἐπιδάμνιος ηὔλει.
Χαρίλαος Λοκρὸς ἐδίδασκεν.
Εὐθύκριτος ἦρχεν.

Qua inscriptione commemorari videmus: 1°. tribum, quae reportarit victoriam et quo certaminis genere vicerit, 2°. hujus tribus choragum, 3°. tibicinem, 4°. didascalum, 5°. anni, quo victoria reportata est, archon eponymum.

Ceterae inscriptiones universe huic congruunt, pau-

cis tamen nonnullae discrepant. Hic tantum de iis agemus, quae pertineant ad quaestionem nostram.

Duas nobis Plutarchus tradidit choragicas inscriptiones, quarum altera, in vita Aristidis, c. 1, ita se habet: »*νίκης ἀναθήματα χορηγικοὺς τρίποδας ἐν Διονύσου κατέλιπεν, οἳ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐδείκνυντο, ἐπιγραφὴν διασώζοντες· Ἀντιοχὶς ἐνίκα, Ἀριστείδης ἐχορήγει, Ἀρχέστρατος ἐδίδασκεν*"; altera in Themistoclis vita c. 5 sic: »*ἐνίκησε δὲ καὶ χορηγῶν τραγῳδοῖς καὶ πίνακα τῆς νίκης ἀνέθηκε, τοιαύτην ἐπιγραφὴν ἔχοντα· Θεμιστοκλῆς Φρεάρριος ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν.*"

Has inscriptiones si monumento choragico supra allato, quasi talium monumentorum normae, comparamus, eas integras non esse statim apparet, quum in priore neque archon commemoretur, neque in quo certaminis genere Antiochis vicerit, ita ut utrum dramatici an alius certaminis sit monumentum prorsus ignoremus; in posteriore vero, quae tribus victoriam reportarit, non afferatur [1]). Hanc

---

1) Julius Richter hujus inscriptionis initium in hunc modum supplendum ducit:

Λεοντὶς τραγῳδοῖς ἐνίκα.
Θεμιστοκλῆς Φρεάρριος ἐχορήγει,
Φρύνιχος ἐδίδασκεν.
Ἀδείμαντος ἦρχεν.

vero ad tragoedorum pertinere chorum, quamvis ne id quidem tradat inscriptio, ex allato poetae tragici Phrynichi nomine, omni dubio vacat. Eam si cum lyrici virorum chori documento comparamus, statim animadvertimus, in hoc mentionem fieri tibicinis, in tragici chori documento non fieri. Inde tamen concludere non licet tibicines in tragicis comicisque inscriptionibus omnino non commemorari, quum, ut monuimus, Plutarchus tradiderit inscriptionem non integram. Quod vero nobis veri simillimum videtur, id Boeckhius omni dubio majus fuisse putat: sin minus, quomodo factum foret, ut in brevi commentatione de certaminibus musicis, quam inscriptionibus tradendis praemisit, legamus: „ubicumque tibicen commemoratur, cyclium chorum intellige" [1]); quam sententiam, quamvis non improbabilis videri possit, idoneo argumento carere fatendum est. Tibicines commissionibus scenicis affuisse quidem, sed inferiorem tantum locum tenuisse videntur [2]).

Idem paullo infra addit: „In tali igitur monumento ea primo loco posita sunt, quae choragum victorem victoriamque tribus celebrant."

1) Vid. Boeckh., C. I. Gr. I, p. 343.

2) Quasnam tamen partes in cycliis choris egerint, quae eos dignos reddiderint, qui in victoriae documentis commemorentur, mihi saltem non liquet, neque in Boeckhii, neque in alius cujusvis scriptis hoc de re quicquam repperi. In tibicinum choro, de quo Demosthenes in Mi-

Didascalus in omnibus commemoratur choragicae victoriae monumentis, cum in cycliis ceterisque, tum in dramaticis. Etiamsi non integra sit Plutarchi inscriptio tragica, hac quidem in re nulli dubitationi dat locum.

Didascalum, cujus hic mentio fit, chori fuisse magistrum, omni dubio majus existimo. Quis enim, ubi commemorari viderit primo loco tribum, cujus chorus

---

diana loquitur, cujus ipse fuit choragus, auletam magnam habuisse auctoritatem, manifestum est. Longe praestabat chori magistro, quem a Midia corruptum expulit, cujusque expulsi benevole suscepit munus, quamquam ad ipsius officia nequaquam pertinens (Vid. c. 7, p. 520).

Chori magister igitur in hoc choro inferiorem tenuit locum, atque omnino ejusdem fuisse conditionis videtur, ac Sannio, tragicorum chororum ille magister, de quo in eadem oratione mentionem fieri, supra jam vidimus (vid. p. 533. cf. hujus commentationis p. 63). Quis tamen erat αὐλητής ille in tibicinum choro? Orator de eo loquitur, quasi de persona, cujus munus omnibus notum est; nos vero ignoramus. Speciosum mihi quodammodo videtur, tibicinem eum fuisse, qui componeret modos, quos chorus tibia caneret, simul vero magnam in choro instituendo haberet auctoritatem, licet chori magister ad hanc rem adhiberi posset. Quomodo vero res in cycliis choris se habuisse putanda est? In horum chororum inscriptionibus uterque et tibicen et didascalus commemorantur, ita tamen, ut ille priorem plerumque teneat locum. Si in his quoque choris tibicen is erat, qui modos componeret, ad quos dithyrambus caneretur, quaenam tandem est causa, cur ille quidem, non vero ipsius dithyrambi poeta commemoretur? Etiamsi enim statuimus, poetam fuisse chori magistrum, multae restant quaestiones, quibus respondere non facile erit: quidni e. g. tibicen fuerit chori magister? Cur poeta tunc demum, quum chori magistri munus susciperet, dignus habitus sit, qui commemoretur, quum tibicen, licet chori non esset magister, hoc honore jam frueretur? aliae ejusmodi.

victoriam reportarit, secundo hujus chori choragum, deinde vero sequi verba: »Φρύνιχος ἐδίδασκεν'', quis, inquam, dubitabit, an haec verba spectent ad eum, qui eundem chorum docuerit, non vero ad poetam histrionum magistrum, quem ex Boeckhii sententia chori magistro multum praestitisse vidimus choragique auctoritate prorsus fuisse liberum? Idque ipse Boeckhius concedit, dicens: „porro (commemoratur) *chori* praeceptor, quimodo ipse poeta est, modo alius.''

Ex allata igitur inscriptione apparet: 1°. in victoriae monumento fabulae poetam non commemorari, nisi idem chori esset magister; 2°. hunc chori magistrum tertio tandem loco commemorari, quum tribus et choragus, qui repraesentarit tribum, primos teneant locos [1]).

---

1) Unum tamen huic nostrae conclusioni objici posse videtur. Si in tibicinum choris auleta, quemadmodum vidimus, magnam habuerit auctoritatem, licet chori magister non esset, ac revera, ut conjecimus, tibicen is fuerit, qui tibiarum modos componeret, in cycliis autem choris tibicen vulgo ante chori magistrum commemorari soleat, nonne inde concludendum, poetam dramaticum, qui ab omni parte, ut videtur, cum auleticorum chororum tibicine conveniat, etiam eodem honore fructum atque in publicis victoriae monumentis nominatum esse, etiam si chori magister non fuisset. Huic tamen opinioni, nec monumenta nec veterum testimonia favere videntur. In unico, quod nobis superest, tragicae inscriptionis fragmento a Plutarcho tradito (Themist. c. 5), Phrynichus non ut poeta sed ut chori magister memoratur, deinde quum primis temporibus fere semper unus idemque fuerit poeta et chori magister, Aristophanis aetate, qua non semper id obtinuit, poetam, nisi chori esset magister, nullo victoriae honore fructum esse, apparet e

Utrumque sane in hac quaestione gravissimum. Inde enim quod poeta in victoriae monumento non commemoratur, concludimus, poetam victorem non fuisse; inde quod didascalus tertio tantum loco commemoratur, didascalum victoriae honorum quodammodo participem quidem fuisse, tribum vero tribusque choragum solos in certamine dici posse victores. Hanc igitur sententiam ratam haberemus, ni obstarent quaedam a Boeckhio in C. I. l. l. allata. Concedens enim, inscriptiones choragicas monumenta esse choricorum certaminum, didascalorum tamen quoque certaminum monumenta exstare publice confecta vir egregius contendit; quod si verum est, omnis nostra ratiocinatio labefactatur. Attamen non plane cadit, quum adhuc quaeri possit, utrum gravius fuerit certamen chororum monumentis choragicis, an didascalorum didascaliis celebratum. Nam monumenta illa publica, ad quae spectat Boeckhius, non alia sunt nisi didascaliae, de quibus ergo opus erit paullo accuratius videre.

Casaubonus in „Animadversionibus in Athenaeum de didascaliis", hac ratione eas definit [1]: „altera sig-

---

nonnullis supra a nobis laudatis comicorum locis (Vid. hujus comment. p. 55).

1) Vid. Libr. VI, Cap. 28, p. 235 in edit. Schweigh. Antecedunt

nificatio vocis est, cum accipitur pro eo scripto, quo explicatur, ubi, quando, quomodo et quo eventu fabula aliqua fuerit acta. Hae circumstantiae et similes his necessariae sunt ad rectam et plenam dramaticorum poetarum intelligentiam: imo vero ad capienda recte historiae Graecae tempora. Ideo non leviter in hac parte doctissimi veterum fuere occupati qui super hoc libros multos conscripserunt: quibus et ipsis nomen e re indiderunt: *Διδασκαλίαι* aut *περὶ Διδασκαλιῶν*."

In his Casauboni verbis frustra quaerimus talem didascaliarum rationem, qualem e publicis victoriae monumentis aliquis exspectet. Contra Casaubonus de grammaticorum loquitur scriptis, quae egisse credit de nescio quibus fabularum in scenam inductarum circumstantiis: et in iis, quae sequuntur, multorum

---

haec verba iis, quae afferimus: „Quid igitur est *διδασκαλία*? Duobus modis haec vox in hac re accipi solet: Primum, *pro actione ipsa fabulae, et editione*, quae dicitur etiam *κάθεσις*. Ranarum interpres: „*Δίδυμος, ὅτι οὐ περιέχουσι θάνατον Δαρείου οἱ Πέρσαι τὸ δρᾶμα· διὸ τινὲς διττὰς θέσεις, τουτέστι διδασκαλίας, τῶν φασι*" etc. Dubitari potest, an scholiasta recte perspexerit fabulae actionis atque didascaliae notiones revera, ni fallor, diversas. Si fabula bis in scenam inducebatur, duae quoque exstabant didascaliae, unde nondum sequitur, eandem fuisse horum vocabulorum significationem.

nomina laudat, qui variis temporibus tales composuerint didascalias aut de didascaliis scripserint, inter quos ipse Aristoteles primum tenet locum [1]), deinde discipulus ejus Dicaearchus, postea Callimachus et Eratosthenes, Carystius [2]), Aristophanes grammaticus, alii. Addit Casaubonus: "Praeter omnes hos industriam suam in isto negotio occuparunt nobiles critici, Aristarchus, Crates et alii multi, qui fabulas veterum poetarum sunt interpretati. De his accipiendum, quoties sine nomine laudantur *αἱ Διδασκαλίαι.*"

Boeckhius vero illa Aristotelis et grammaticorum scripta, de quibus loquitur Casaubonus, non genuinas

---

1) Novimus e Diogene Laertio V, 26, Aristotelem duos composuisse libros, quorum alteri titulus est *Νῖκαι Διονυσιακαί*, alteri *Διδασκαλίαι*. Nonne fieri potest, ut in priore hoc opere chororum choragorumque conscripserit nomina, Dionysiorum certaminibus victorum, in altera fabularum, quae actae erant, poetarumque, qui eas egerant, collegerit nomina? Haec conjectura si vera esset, argumento esset sententiae nostrae, ex qua tribus et choragi in certamine soli victores fuerint, quum operis, in quo consignarentur, titulus esset *Νῖκαι Διονυσιακαί*; opus vero, in quo didascali commemorarentur, nullo adhibito victoriae nomine, *Διδασκαλίαι* appellaretur.

2) Hujus Carystii effatum ab Athenaeo l. l. citatum: "*Τὸν δὲ νῦν λεγόμενον παράσιτον Καρύστιος ὁ Περγαμηνὸς, ἐν τῷ περὶ Διδασκαλιῶν, εὑρεθῆναί φησιν ὑπὸ πρώτου Ἀλέξιδος· ἐκλαθόμενος ὅτι Ἐπίχαρμος*", etc. ansam dedit Casauboni animadversioni de Didascaliis, e qua supra nonnulla attulimus.

existimat esse didascalias, sed tantum publicorum monumentorum didascalicorum editiones, quas viri illi docti curarint: „quippe vetustissimae didascaliae ipsis iis temporibus *publice* confectae sunt, quibus ii docebant, quorum opera didascaliae commemorant; ut Olympici victores, ut aliorum gymnicorum ludorum victores inscribebantur, ita poetarum certamina consignabantur tabulis ex ordine annorum" [1]).

Quid statuendum de hac Boeckhii sententia de didascaliis publice confectis, e quibus hauserint omnes illi, qui serioribus temporibus didascalias conscripserunt?

Nonne jam hoc, quod tot fuerunt de didascaliis inde ab Aristotele virorum doctorum scripta, tali opinioni adversari videtur? Num credibile est, si publica monumenta exstiterint eaque ediderit Aristoteles, fieri potuisse, ut post hunc de iisdem hisce tot scripserint grammatici atque adeo inter se litigarint, quod Callimachum fecisse reperimus, qui vituperavit didascalias ante se editas, et Eratosthenem, qui eas defendit? Nonne potius haec eo nos ducant necesse est, ut

1) Vid. Boeckh., C. I. Gr. p. 350, sqq.

statuamus, Aristotelem non collegisse modo publica, ad quae facilis ei aditus esset, monumenta, sed eo nomine eum de re scenica optime meritum esse, quod e diversis fontibus, non solum publicis (inter quae choragica primum sane obtinuisse locum necesse est, quae, ubi commemorabant didascalos, plerumque poetas simul aperiebant [1])), sed etiam privatis, didascalorum et fabularum, quas docuerint, ex ordine annorum composuerit catalogum? Talis catalogus, ex ipsa rei natura, observationibus criticis, emendationibus, additamentis obnoxius erat, atque ita factum est, ut Dicaearchus, Aristotelis discipulus, magistri jam retractaverit opus, cujus seriores grammatici imitati sunt exemplum. Fatemur tamen haec, quamvis speciosa, ad redarguendam Boeckhii de vetustis didascaliis sententiam, non sufficere. Jam instat quaestio, num didascaliae illae revera monumenta didascalica nuncupanda sint, ab omni parte ad choragicorum monumentorum rationem constituta, quae unius tantum victoriam prodiderint memoriae. Cui

1) Nimirum ubi poeta didascali munus suscepisset, quod saepius factum esse supra vidimus; sin minus, alia adeunda erant, unde appareret, quis fabulae fuisset poeta.

quaestioni, quem jam supra laudavi, Richterus [1]) ita respondet: „Hujus generis exempla supersunt nulla. Nam quae leguntur in argumento Persarum Aeschyli: »Ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ, Προμηθεῖ," ea nimis brevia sunt; quae vero in Agamemnonis argumento, ea potius ex choragico monumento et didascalia videntur conflata esse. Itaque quum de monumentis, quae vocamus, didascalicis nihil constet, neque consentaneum sit, poetas suam ipsorum victoriam tabulis, ne dicam tripodibus, celebrare aut voluisse aut potuisse, restat quaestio de catalogis didascalicis" [2]).

Ejusmodi tamen publica victoriae monumenta vetustas illas didascalias fuisse, Boeckhius revera putat, atque in Corp. Inscrr. in eodem Agonisticorum capite, in quo choragica reperiuntur monumenta, nonnullas affert

---

1) Vid. Julius Richter in Prolegg. ad Aristoph. Vespas, Caput I, De tempore fabulae Vesparum actae, X, p. 10.

2) E verbis allatis Richteri: „neque consentaneum sit, poetas suam ipsorum victoriam tabulis, ne dicam tripodibus, celebrare aut voluisse aut potuisse" manifesto apparet, egregium hunc saltem virum veram ac justam habere notionem earum, quas poetae in Dionysiaco certamine habuerint partes. Choragi solius victoris fuisse tripodem consecrare, tabula victoriam celebrare, bene perspexit Richterus.

inscriptiones, e quibus unam saltem vetustam ac genuinam fuisse contendit didascaliam, publice Athenis confectam [1]).

Harum inscriptionum, quas sub nis 229, 230 et 231 nobiscum communicat, duae priores Romae sunt inventae. Quod ad has attinet, Boeckhius concedit, eas non fuisse genuinas didascalias, "sed multo post, ex doctorum haud dubie libris compositas esse, jussu Romani cujusquam hominis, ut imaginibus eorum, quos spectant poetarum, apponerentur" [2]). Non modo igitur vetustae non sunt didascaliae, sed ne probari quidem potest eas umquam exstitisse, nedum eas deprомptas esse ex doctorum libris, qui didascaliarum nomine vulgo significantur, e quibus eas compositas esse Boeckhius conjecit. Idem enim complura nobis indicat argumenta, unde manifeste apparet, fieri non potuisse, quin hae poetarum imaginibus affixae inscriptiones e vetustis didascaliis sint haustae.

Has igitur mittentes, ad tertiam nos vertamus inscriptionem, de qua Boeckhius haec dicit: "nihil neque in

1) Vid. Boeckh., l. l. p. 350 et 353, sqq.
2) Vid. Boeckh., l. l., p. 353.

scriptura, neque in ceteris rebus obstat, quominus vera illa et vetusta didascalia videatur." Desumpta est e schedis Fourmonti, cui non nimiam fortasse habendam esse fidem, e verbis Richteri efficere posse nobis videmur[1]). Columnae duae sunt: priorem adscribo, quum alterius rarae modo literae supersint.

..... τε ....]στιδι,
ὑπε. Ἀριστόμ]αχος.
Ἀντιφάνη]ς πεμ. Ἀνασῳζο[μένοις,] [2])
ὑπε. Ἀντ]ιφάνης.
.... ώνυμος ἐνίκα.
Ἐπὶ Δι]οτίμου Σιμύλος [πρω....
σίᾳ, ὑπε. Ἀριστόμαχος.
Διόδωρος δευ. Νεκρῷ,
ὑπε. Ἀριστόμαχος.
Διόδωρος τρι. Μαινομένῳ

---

1) Verba, quae specto, ita se habent: „*Quorum, si cum Boeckhio fides habenda est Fourmontio*, simplicissimum et sincerissimum exemplum deprehendisse mihi videor in C. I. N°. 231, p. 353.

2) Ceteris assentiens, huic conjecturae non adstipulor, ex qua idem qui protagonista poeta fuisset, quod antiquissimis temporibus nonnumquam obtinuisse a scholiastis traditur, tempore vero, quo actae sunt fabulae hac inscriptione commemoratae (i. e. Olymp. cvi, 3, quo anno Diotimus erat archon) jamdiu in desuetudinem abiit. Accedit, quod magna pars nominum Graecorum desinat in ς, quas ob causas nullam fere haec conjectura mihi habere videtur veri speciem.

ὑ]πε. Κηφίσιος.

. . . . ης τε. Ποιητῇ

ὑπε . . . . .]ης.

Manifestum est, hanc inscriptionem esse catalogum duas commissiones complectentem, annis, ut videtur, duobus deinceps habitas [1]), quarum quaeque constitit quinque poetis (comicis, ut videtur, quum altera tragicos contineat) ex ordine positis, quod vocibus πρω. δευ. τρι. τε. πεμ. i. e. πρῶτος, δεύτερος, τρίτος, τέταρτος, πέμπτος post eorum nomina intercedentibus, indicatur; non vero duorum horum certaminum catalogus integer exstat: initio ante vocem τε. quatuor priores commissionis poetae supplendi sunt, ad finem vero quintus poeta sequentis anni certaminis. Porro ὑπε. est pro ὑπεκρίνετο atque, ut verisimile est, protagonistam significat.

---

1) Cff. quae hac de re affert Richter, l. l.: „Certe poetae ejusdem commissionis nominati sunt; sed quod Boeckhius praemittit: „Utraque columna ad eadem haud dubie sollemnia pertinet": id non de unius anni solemnibus debet intelligi, quum archontis nomen in media sit inscriptione et duae potius commissiones uno hoc catalogo comprehendantur. Itaque ipse vir summus voluit intelligi. „Col. I duos complectitur annos, secundus incipit a vs. 6, ubi archon Diotimus Ol. 106, 3." Qui quum statuerit, eadem sollemnia fuisse, eorumque nomen, cujus in titulo nulla mentio facta est, supra scriptum fuisse, nemo facile habebit, quod contradicat."

Jam instat quaestio, num haec inscriptio conveniat cum opinione, quam nos habemus de publico dramaticorum poetarum victoriae monumento. Ut in monumento choragico victrix tantum commemoratur tribus, ita in didascalia quoque poetarum certaminis exitum, victorum ergo nomina, afferri exspectes. E virorum doctorum nimirum didascaliis atque omnibus, quae nobis de rebus scenicis sunt tradita, tria videntur data fuisse poetis praemia; eorum igitur poetarum nomina eorumque fabulas memorari, ni fallor, rei naturae conveniens fuisset, quibus ex judicum sententia τὰ πρωτεῖα, δευτερεῖα vel τριτεῖα i. e prima, secunda, tertia praemia data essent. Hic tamen nihil hac de re. Ipse Boeckhius dicit: "In vetusta didascalia N°. 231 res aliter se habet. Quini in ea comici poetae ex ordine recensiti erant in utroque anno: et primo anno post quintum (poetam) victor inscriptus est: [.....]ώνυμος ἐνίκα: unde apertum fit in hac didascalia numeros non ad praemiorum ordinem referri, sed ad eum ordinem, quo sibi comoediae in commissione successerant." Quam difficile sit, tale quid in victoriae monumento statuere, jam animadvertit Richterus, ubi respiciens haec dicit: "Non repugno, quamquam invitus concedo, certe hanc legem

fuisse negaverim. Aut utrumque factum esse credas, tabulasque et commissionum ipsarum confectas esse et victoriarum praemiorumve. Nostrae quidem didascaliae (eae nimirum, quae ante fabulas reperiuntur) alterum hoc genus victoriarum profitentur."

Credi revera vix potest, in publico victoriae monumento non quidem commemorari secunda ac tertia praemia quibus poetis data sint, sed nomina afferri earum fabularum, quae ceciderint; nec magis praemiorum e judicum sententia ordinem, sed, quod nullius hominis interest scire, ordinem, quo sibi comoediae in commissione successerint. Quae res sibi ipsi contraria videtur.

Alia afferri possunt: primo quod in eodem lapide, in quo comoediarum didascalia inscripta est, altera quoque reperitur didascalia tragica. Parum mihi veri simile videtur, in publico monumento diversas hasce res fuisse conjunctas. Denique, quum in inscriptionibus choragicis annus semper indicetur hac ratione: Εὐθύκριτος (e. g.) ἦρχεν, hic simpliciter legitur: "ἐπὶ Διοτίμου", quae dicendi ratio ad communem vitae usum magis apta, ad monumenta saltem minus sollemnia pertinere videtur. Nequaquam igitur cum

Boeckhio existimandum est, in hac didascalia conspici didascalorum victoriae monumentum, quod ab omni parte cum monumentis choragicis, qualia ea cognovimus, sit comparandum.

Cum Richtero potius statuendum, id exemplum esse catalogorum illorum didascalicorum, „quos publico sumtu factos esse, etsi veterum nullus, quod sciam, tradidit, et in theatro maxime, in Dionysi fano, in toto Lenaei agro sacro depositos esse" per se patere dicit l. s. l. Qua de re (num publico sumptu sint facti) licet dubitari possit, inter omnes, ni fallor, constat, tales catalogos numquam argumento esse posse Boeckhii sententiae, e qua didascalus in scenico certamine fuerit victor, cujus didascali victoriae tribuum choragorumque victoria nil nisi additamentum atque appendix quaedam fuerit.

Contra e disquisitione, quam nos hac de re instituimus, apparuit, victoriarum, quas tribus reportarunt, publica hodieque exstare monumenta; earum, quas didascali, nullum.

Apud ipsos autem veteres, quoties de scenico certamine loquuntur, de chororum certamine atque victoria mentionem fieri reperimus: monumenta quoque

nobis servata chori choragique victorias celebrare apparuit. Nonne licet jam inde concludere, chorum ejusque choragum in scenica commissione victorem esse censendum? Cui quaestioni antequam respondere conamur, videamus, num alia forte ratio obtinuisse putanda sit.

Nonne fieri potest, ut duplex locum habuerit certamen, didascalicum et choragicum, quorum alterum ex altero nullo modo penderet, ita ut fieri posset, ut, ubi poeta vinceret, chorus cladem acciperet, aut contrarium obtineret, nempe ubi chorus vinceret, poeta vinceretur? [1]).

---

1) Si hoc admittimus, unum adhuc nobis superest, ut nimirum statuamus, histrionum quoque peculiare obtinuisse certamen.

Ejusmodi quid revera statuere videtur Geppert, qui dicit (altgriech. Bühne, p. 265): „Das Resultat aller dieser Umtriebe war denn nun endlich der Sieg, über den in der Tragödie zehn, in der Komödie fünf Richter zu entscheiden hatten. Es wurde aber dabei nicht allein über die Leistungen der Choragen und Dichter geurtheilt, sondern auch über die Schauspieler, und hier um so strenger, da man sogar in Fällen, wo es nöthig schien, auch auf Strafe erkannte. Die höchste Ehre, die dem Dichter zu Theil werden konnte, war die der öffentlichen Bekränzung, wogegen der Chorag noch ausserdem die Erlaubnisz erhielt, dem Gott in Bezug auf seinen Sieg ein Weihgeschenk machen zu dürfen.“ Qui tamen locus, ni fallor, non ita explicandus, ut eum duplex vel potius triplex certamen statuere putemus, sed in certamine tres personas victoriae participes fuisse. Quis tamen trium illorum hominum certamen decerneret, incertum ex Gepperti verbis manet; licet jam ex eo, quod

Quum tamen nullus suppetat veterum locus qui eo nos ducat, ut tali ratione revera res sese habuisse putemus, nec recentiorum doctorum quis, quod sciam, duplex vel triplex certamen admittat, nec nobis quidem veri simile videatur, missa hac quaestione, statuere posse nobis videmur, in certamine aut poetam aut choragum vicisse; quum poeta vinceret, choragum simul, qui poetae chorum praebuisset, victoriae participem fuisse; quum contra choragus victor esset, didascalum quoque, qui fabulam docuisset, coronatum esse.

Qua ratione rem se habuisse viri docti sibi finxerint, quum eorum effata saepe obscura sint et secum pugnent, nos latet [1]. Ne Boeckhius quidem usquam de industria rem explicasse videtur. Credo, neminem unquam fuisse, qui rei satis, ni fallor, impeditae difficultatem prorsus perspexerit, nedum quaestionem sibi solvendam proposuerit.

Ex omnibus vero, quae de Boeckhii opinione de commissionis scenicae natura nobis innotuerunt, jam hoc efficere licet, rationem, qua fabulam et chorum,

---

choragum maximorum honorum participem fuisse concedit, confici posse videatur, hujus quoque laudes decrevisse certamen.

1) Cf. e. g. locus Gepperti supra allatus.

munera choragi et poetae disjungit, necessario eo ducere, ut choragi victoriam didascali victoriae cessisse eamque secutam esse existimet; cui sententiae omnes, rei difficultatis vix, ut videtur, sibi conscii, assentiri videntur.

Nos autem Boeckhii opinionem ab omni parte supra redarguere conati probare studuimus:

1°. talem, qualem sibi finxit summus vir, fabulae et chori disjunctionem ab ipsa rei natura prorsus esse alienam; in dramate contra partes dialogicas et lyricas quam arctissime esse conjunctas;

2°. didascalum solorum histrionum fuisse magistrum, veterum locis probari non posse; ex quibus potius conficiendum esse, eundem eum ac chorodidascalum fuisse;

3°. choragum denique, etiamsi fortasse totius ludi sumptus non fecerit, totius nihilominus commissionis curam moderamenque habuisse, omnesque, quibus in commissione munus aliquod esset, ei subditos fuisse.

Haec igitur si vera sunt, sponte sequitur, fieri nequaquam posse quin didascalus is fuerit, qui in certamine summam tenuerit atque victoriam reportarit. Si enim didascalus non, quemadmodum Boeckhius putat, est poeta, qui, a choragi auctoritate prorsus liber, histriones docuerit, sed chorodidascalus, sive poeta sive non

esset, choragi auctoritati subjectus, absonum esse, hunc chorodidascalum potius quam choragum in certamine victorem censere, omnibus statim apparet [1]).

Omnibus igitur perpensis, quaestioni, quam nobis solvendam proposuimus, sic respondendum esse censeo: choragum, quippe qui tribus Atticae choro praeësset, non vero poetam s. didascalum, in certamine scenico fuisse victorem.

---

1) Boeckhio nihilominus adeo persuasum est, poetam in certamine victorem fuisse, ut statuat, si poeta nomen publice non professus esset, actorem primarum partium loco poetae victoriam reportasse (Vid. C. I. l. l.); quum constet, poetae, nisi chori magister esset, neque in commissione neque in victoria ullas fuisse partes, quae in primarum actorem transire potuissent.

Ex hac, de qua mentio hic fit, sententia Boeckhius explicare conatur difficillimam illam de Callistrato et Philonide, Aristophanis adjutoribus, quaestionem. Statuit, hos primarum actores Aristophanis fuisse, in quos, quum Aristophanes nomen profiteri nollet, ejus honores transierint. Potius credendum, eos Aristophanis loco chori magistrorum munere esse functos, qua explicandi ratione nostra confirmatur sententia, ex qua non poeta, sed chorodidascalus tantum victoriae honorum fuerit particeps. De hac quaestione, praeter alia multa, cf. Kock, de Phil. et Call. (Gymn. Guben. Programm. a[i]. 1855).

CONCLUSIO.

Vulgarem virorum doctorum de scenicae commissionis natura sententiam ita se habere supra cognovimus, ut poetarum obtinuisse certamen existiment, illustratum illud auxilio choragorum poetis adjunctorum, qui chori instruendi instituendique sumptus facerent.

Nunc jam, quaestione de choragia absoluta ejusque ratione accuratius undique perspecta, ad illam accedamus doctorum opinionem.

In priore hujus Commentationis nostrae parte vidimus, choragos, a tribulibus suis lectos, inter ditissimos fuisse atque illustrissimos tribus cives, qui in choro ornando atque exercendo liberalitate et cura certare insignem ducerent gloriam: choragiam non

modo esse munus publicum, quod multi peterent, quippe quae viris ambitiosis ad auram popularem captandam, vanis ac superbis ad divitias fastumque ostentandum omnium aptissima esset via, sed sacerdotium etiam, quo qui fungeretur, sacrosanctus esset.

Vidimus, choragicam reportasse victoriam in summis habitam esse civis laudibus; maxima autem sollemnitate celebratam esse talem victoriam, ejusque memoriam conservatam et praemio in pulcherrima basi in loco publico collocato et inscriptione, quae per saecula duraret felicisque victoris ad posteros transferret gloriam.

Ex hisce, quae omni dubio majora tenemus, veram rei imaginem nobis fingere conantibus, parum nobis veri videbitur simile, eam obtinuisse rationem, ut choragi poetarum adjutores fuerint, choragorumque victoria corollarii fuerit instar poetarum, quos adjuverint, victoriae.

In altera Commentationis parte primo quaestionem posuimus, quaenam poetae in scenica commissione fuerint partes, cui quaestioni ita respondendum censuimus, ut ipsi dramatis poetae nullae essent

partes neque in commissione, neque in victoria, nisi, quod vulgo obtinebat, idem didascalus esset, et non quidem, quod Boeckhius putat, histrionum solorum praeceptor, sed chori magister, cui et histriones et choreutas docendi munus fuisse videtur.

Quae si vera sunt, num credibile est, poetae ab archonte adjunctum esse[1]) ac serviisse choragum a tribu creatum, ut sacro praeesset dei festo, an contrarium potius obtinuisse? [2]).

Secunda posita quaestione: Utrum choragi cura atque auctoritas ad chorum solum an ad universam fabulae

---

1) Vid. Boeckh., l. l., p. 602: „Die von den Stämmen gestellten Choregen wurden vom Archon den Dichtern zugetheilt, welches man *Chor geben* nennt".

2) Equidem rei naturae magis consentaneum duco, non choragos poetis, poetas vero choragis fuisse adjunctos. Verbis enim, quae Graeci scriptores hac in re usurpare solent: „*αἰτεῖν*, *διδόναι*, *λαμβάνειν χορόν* perperam ea tribuitur significatio, quasi chorus cum chorago suo, aut potius choragus, cui chorus colligendus erat, poetae adjungeretur, quum tantum significare videantur, poetae aut potius didascalo chorum instituendum fore. Quomodo vero hunc chorum nanciscebatur? Nullo hoc docente veterum loco, fortasse ex iis, quae in Midiana reperiuntur de ratione, qua in auleticis choris tibicen nancisceretur chorum, aliquid conficiemus, siquidem statuere licet, hac in re inter auletam in tibicinum choris et chororum dramaticorum praeceptorem similitudinem quandam obtinuisse. Quod ad auletam attinet, Demosthenes narrat (c. Mid. § 13, p. 519), archontem choragos ad festum lectos in comitiis sortiri jussisse, quis primus auletam suum eligeret, quis deinde, et ita porro. Fortasse

commissionem pertinuerit, non chori solius, sed totius ludi administrationem ei mandatam fuisse reperimus, unde choragum in certamine summam tenuisse nec fieri potuisse, ut poetae s. didascalo ab ejus auctoritate libera fuerit conditio, sponte sequitur.

Tertio quaerentes, utrum choragus an poeta s. didascalus in certamine victor fuerit, e monumentis nobis servatis probavimus, choragum publicum fuisse victorem, quod vel ex iis, quae antecedunt, ultro confici potest. Si enim, ut probavimus, choragus certaminis esset dux, poetae vero nullae, didascalo inferiores tantum in certamine essent partes, jam choragum victorem esse debuisse, necessario inde sequitur.

Ratio igitur, qua quaestionibus a nobis positis respondendum esse reperimus, ad eum, quem petiimus, finem nos perduxit, quum manifesto apparuerit opinionem illam, ex qua commissio scenica poetarum fuerit certamen, falsam esse, imo chororum choragorumque

non nimiae audaciae est, eadem in dramaticis choris obtinuisse statuere, praeceptores nimirum sorte choragis esse adjunctos. Boeckhium (l. l. paullo infra) idem statuere de ratione, qua choragi chorodidascalum nanciscerentur, mirari non possunt, qui sciant, Boeckhium distinguere inter poetam et chorodidascalum, quod tamen injuria summum virum facere, probare supra conati sumus.

certamen obtinuisse, qui chori quum a tribubus Atticis sisterentur easque repraesentarent tribus, hoc statuere licet: commissionem scenicam certamen fuisse tribuum Atticarum.

Quando igitur mentionem fieri reperimus de poetarum certaminibus, alia quaedam vis verbis hisce tribuenda videtur. Quemadmodum vidimus, praeceptoris munus plerumque suscipiebant poetae; quo munere fungentes victoriae ita erant participes, ut cum choro, quem instituissent, coronarentur, inque choragicis monumentis nomina eorum inscriberentur. Hoc si consideras, de poetarum certamine et victoria loqui sane licet: modo non tale poetarum certamen unicum vel primarium in scenica commissione fuisse putes, quippe quod e tribus, chori, choragi certamine prorsus penderet. Nihil tamen dubitandum, quin in poeta qui simul praeceptor esset, maximum fuerit choro momentum ad reportandam victoriam, quae non minus fabularum praestantia quam bona choreutarum histrionumque institutione pararetur.

Ubi igitur chorago in certamine summam fuisse auctoritatem supra contendimus, publicam tantum rei partem spectavimus, quod quoque in tota scenica com-

missione tractanda fecimus. In ipsa enim ludi praeparatione sine dubio, ut fieri solet, is qui princeps auctor erat boni rei eventus, maximam quoque habuerit auctoritatem, necesse est, etiamsi publice summam non tenuerit. Quomodo enim res se habebat? Choragus, vir nobilissimus, sacro munere publico fungens, tribus suae chori praeses, si vincere vellet, poetae ingenio, praeceptoris peritia carere nullo modo poterat: chorum quidem quam pulcherrime ornare, quam liberalissime remunerari, alere, omnibus, quorum indigeret, sufficere poterat, poeta chori histrionumque magister nihilominus exoptatae victoriae praecipuus erat auctor. Quam ob causam fieri non potuit, licet choragus solus fuerit publice victor, quin victoriae honos poetae magnam partem tribueretur, nec mirum, poetam quoque victorem vulgo habitum et dictum fuisse.

Scholiastae inprimis ac grammatici, ut supra vidimus, de poetarum loquuntur certaminibus, victoriis, cladibus. Hisce, quorum effatis falsam recentiorum hac de re opinionem niti diximus, praeter ea, quae jam attuli, alia etiam fuisse videtur causa, cur hunc errorem ad nos propagaverint. Causa, quam specto, ni fallor, haec fuit: Doctis illis viris, aeque ac nobis,

non contigit Attica dramata conspicere in scenam inducta; sola vero lectione, ut nos nunc, ita jam veteres illi contenti esse debebant. Apud eos vero, antiquam quandam fabulam legentes, ex ipsius rei natura hujus fabulae scriptor primum tenebat locum, rationem contra, qua fabula illa olim Athenis acta esset, vix curabant.

Addendum est, dubitari posse, an grammatici illi Alexandrini, quamquam litterarum et artium peritissimi, satis lucidam habuerint notionem institutionum reipublicae Atheniensis. Non ab omni parte perfecta, quam hac ratione de scenica certaminis natura sibi finxerant, opinio, ut fit, ad recentiora pervenit tempora viguitque, donec archaeologicae nostrae aetatis disquisitiones fabularum agendarum rationem aperuerint et mentio fieri coeperit tribuum et choragorum publice instituti certaminis, quod sensim paullatimque adjuvantibus egregiorum virorum disquisitionibus, Casauboni, Wolfii, Boeckhii, aliorum, clarius ac lucidius nobis factum est. Quae a clarissimis illis viris editae notiones licet magnam in scientiam nostram recentiorem habuerint vim, nondum tamen, ne a Boeckhio quidem, res penitus absoluta esse mihi videtur, quatenus

victoriam choragorum additamentum modo fuisse poetarum victoriae, vulgo etiamnunc censeant viri docti. Quamobrem, refutatis eorum, Boeckhii imprimis, sententiis, hac qualicumque commentatione nostra veram commissionis scenicae naturam e nostra sententia exponere conati sumus, probantes, eam non fuisse ἐπίδειξιν poetarum fabulis suis certantium, sed certamen musicum chororum in Bacchi honorem Dionysiorum occasione saltantium ac canentium, quos choros sistebant tribus Atticae.

THESES.

I.

Commissio scenica Athenis certamen erat tribuum Atticarum.

II.

Errat vir summus, Boeckhius, contendens choragi auctoritatem ad chorum tantum pertinuisse (Athen. Staatsh. I. p. 602).

III.

Perperam idem (l. l.) vocem: χορὸν διδόναι his verbis definit: „Die von den Stämmen gestellten Choregen wurden vom Archon den Dichtern zugetheilt, welches man *Chor geben* nennt.”

8

IV.

Non facio cum Boeckhio, statuente, catalogos didascalicos, quos affert in C. I. Gr. sub n° 231, p. 353 sq., didascalorum victoriae monumenta fuisse ad rationem monumentorum choragicorum consecrata.

V.

In Lysiae Or. de caede Eratosth. § 20: »καὶ τὰς εἰσόδους οἷς τρόποις προσίοι", rectissime vir doctus pro: προσίοι legendum conjecit: παράσχοι.

VI.

Lysias XII, c. Eratosth. § 19: »τῆς γὰρ Πολεμάρχου γυναικὸς χρυσοῦς ἑλικτῆρας, οὓς ἔχουσα ἐτύγχανεν, ὅτε τὸ πρῶτον ἦλθεν εἰς τὴν οἰκίαν Μηλόβιος ἐκ τῶν ὤτων ἐξείλετο."

Ex elegantissima Franckeni emendatione delenda virgula post ἐτύγχανεν et reponenda post οἰκίαν (Francken, Emendatt. Lysiacae, p. 83).

VII.

Demosth., de falsa legat. § 188, post: ἢ κατηγορεῖν addendum: κατηγορῶ.

VIII.

Demosth., de Corona, § 32: »ἵνα μὴ — — — ἐξέλθοιτε ὑμεῖς καὶ περιπλεύσαντες ταῖς τριήρεσιν εἰς Πύλας, ὥσπερ πρότερον, κλείσαιτε τὸν πορθμόν".

Πορθμόν in πάροδον mutandum est.

IX.

Thucyd. I, 95 med.: »ξυνέβη τε αὐτῷ καλεῖσθαί τε ἅμα καὶ τοὺς ξυμμάχους τῷ ἐκείνου ἔχθει παρ' Ἀθηναίους μετατάξασθαι" κτέ.

Pro: καλεῖσθαι sententia postulat: ἀνακαλεῖσθαι.

X.

Ibid. cap. 138: »Ἦν γὰρ ὁ Θεμιστοκλῆς βεβαιότατα δὴ φύσεως ἰσχὺν δηλώσας καὶ διαφερόντως τι ἐς αὐτὸ μᾶλλον ἑτέρου ἄξιος θαυμάσαι."

Sermonis elegantiae officit puerile interpretamentum: μᾶλλον ἑτέρου.

XI.

Ibid. cap. 137: »καὶ ὕστερον οὐ πολλῷ τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις ἐλθοῦσι καὶ πολλὰ εἰποῦσιν οὐκ ἐκδίδωσιν," κτέ.

Pro: *πολλὰ εἰποῦσιν* legendum videtur: *πόλλ' ἀπειλοῦσιν.*

XII.

Optime vir clar. Karsten in Eurip. Medea vs. 926 sqq. ita transponit:

Medea.

925. *οὐδέν· τέκνων τῶνδ' ἐννοουμένη πέρι —*

Iason.

929. *τί δή, τάλαινα, τοῖσδ' ἐπιστένεις τέκνοις;*

Medea.

930. *ἔτικτον αὐτούς· ζῆν δ' ὅτ' ἐξεύχου τέκνα,*
931. *εἰσῆλθέ μ' οἶκτος εἰ γενήσεται τάδε.*

Iason.

926. *θάρσει νυν· εὖ γὰρ τῶνδε θήσομαι πέρι.*

Medea.

927. *δράσω τάδ'· οὔτοι σοῖς ἀπιστήσω λόγοις,*
928. *γυνὴ δὲ θῆλυ κἀπὶ δακρύοις ἔφυ.*
932. *ἀλλ' ὧνπερ οὕνεκ' εἰς ἐμοὺς ἥκεις λόγους,"* κ.τ.λ.

XIII.

Aristoph. Vesp. 386:

»*ἥν τι πάθω 'γώ',*

ἀνελόντες καὶ κατακλαύσαντες θεῖναι μ' ὑπὸ τοῖσι
δρυφάκτοις.

pro: κατακλαύσαντες scribendum: κατακαύσαντες.

XIV.

Rectissime E. A. Richter (N. Jahrb. f. Phil. u Paed. 1866, p. 30) contendit tres Hermarum inscriptiones in Plutarchi Cim. 7 et in Aeschinis or. adv. Ctesiph. § 184 sq. inverso ordine ita legendas esse, ut quae tertio affertur primum capiat locum, deinde sequantur prima et secunda, et merito idem Aeschinis Plutarchique errorem ex Hermarum positione repetit.

XV.

Cic. Brut. XIII, 48: „Et Graeciae quidem oratorum *partus* atque fontes videtis.

Pro: *partus* legendum est: *ortus*.

XVI.

Cic. de Senect. XVII, 61: „Quanta" (sc. fuit auctoritas) „in Atilio Calatino! in quem illud elogium unicum: PLURIMAE CONSENTIUNT GENTES, POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. *Notum est carmen, incisum in sepulcro.*"

Ultima verba: *Notum — sepulcro*" glossatori debentur.

XVII.

Horat. Epist. I, 3, 4:

„An freta vicinas *inter currentia turres.*"

Ita legendum videtur:

„An freta vicinas *interrumpentia terras.*"

XVIII.

Cum Peerlkampio puto in Horat. Od. I, 12 delendos esse vss. 33—48.

XIX.

Cic. pro Murena XIII, 29: „Ut aiunt in Graecis artificibus eos auloedos esse qui citharoedi fieri non potuerint, sic *nonnullos* videmus qui oratores evadere non potuerint eos ad iuris studium devenire."

Optime vir clar. Cobet (Mnemos. 1860, p. 335 sq.) pro: *nonnullos* scribendum conjecit: *apud nos.*

XX.

Tac. Agric. 27: „At Britanni non virtute, *sed* occasione et arte *ducis* ** rati."

Lege: „At Britanni non virtute *se*, *sed* occasione et arte *elusos* rati".

XXI.

Apud Nepotem in v. Miltiadis, cap. I extr. spuria sunt verba: „*Hic enim ventus ab septentrionibus oriens advorsum tenet Athenis proficiscentibus.*"

XXII.

Classium et centuriarum cum tribubus conjunctio intra annos 513 et 536 U. c. obtinuit.

XXIII.

Injuria Puchta (I, 57) legem Liciniam de modo agri ad agri publici possessionem pertinere negat.

XXIV.

Immerito Mommsenus (Röm. Gesch. II, 108) Sempronias leges id spectasse contendit, ut pro libera republica tyrannis induceretur.

XXV.

Recte Schweglerus (Gesch. d. gr. Phil. p. 54): „Man

hat die Pythagorische Philosophie in neuern Zeiten mit Recht als die Dorische zu betrachten angefangen."

XXVI.

In poemate Neerlandico, cui titulus est Ferguut, vs. 1333, pro:

"Ic sal *der liebardinnen simple*
Den horen nemen ende den wimple",

legendum videtur:

"Ic sal *den liebaerde in den tempel*
Den horen nemen ende den wempel."

XXVII.

Assentior doctissimis Lexici Neerlandici scriptoribus affirmantibus: "De verwantschap van het Latijnsche *natrix* en ons *adder* lijdt geen twijfel" (Woordenb. der Nederd. Taal, 5de Afl. p. 770).

XXVIII.

Optime ad nostra convertenda sunt, quae scripsit Munk (Gesch. der gr. Literatur, I, Vorrede, p. IX): "Eine Reorganisation unserer Gymnasien, wie sie wohl in der nächsten Zeit zu erwarten ist, wird in Bezug

auf die klassischen Studien davon ausgehen müssen, dasz, nachdem in den unteren Klassen die Vorbereitung zu denselben durch die griechische und lateinische Grammatik und fleissige Uebungen im Uebersetzen vollendet ist, in den höheren Klassen der Gesammt-Unterricht hierin nicht, wie bisher, als philologischer, sondern als ein historischer aufgefasst werde. Der Schüler soll in das klassische Alterthum in jeder seiner Beziehungen eingeweiht werden; denn das Endziel des Gymnasiums ist eine, wenn auch nicht in das kleinste Detail sich erstreckende, doch möglichst vollständige und organische Kenntniss des Alterthums, von dessen allgemeinem Standpunkte der Schüler dann auf der Universität zu den besonderen Gebieten der Wissenschaft hinabsteige."

CORRIGENDA.

Pag.	27,	linea	11	scriptum:	licet	lege:	licet 2).
"	34,	"	19	"	pertinerent	"	pertinerent.
"	29,	"	12	"	§ 9	"	§ 8.
"	50,	"	8	"	Casaubones	"	Casaubonus.
"	"	"	"	"	duobis	"	duobus.
"	55,	"	6	"	multe	"	multae.
"	66,	"	9	"	pertinuerint	"	pertinuerit.
"	77,	"	2	"	pertinuit	"	pertinebat.
"	"	"	18	"	praetentia	"	praesentia.
"	79,	"	15	"	chorago	"	choragorum.

Reliqua, si forte me fugerint, corrigat benevolus lector.